






1000











DOCUMENTA HISTORICA  
SEMINARII  
WLADISLAVIENSIS.



Collegit et Edidit

STANISLAUS CHODYŃSKI,

eiusdem Seminarii Rector.



X. Dr. FIJALEK.

Sumptibus Seminarii Wladislaviensis.

VARSAVIAE.

Typis Francisci Czerwiński

ad plateam Novy Świat N. 36.

1897.

1035

A P P R O B A T U R.

Wladislaviae, die 24 Julii 1897 anno.

Officialis Generalis

Episcopus Suffraganeus

† H. Kossowski.

Pro Regente Cancellariae

Fr. Mirecki.

№ 2411.

О Д О Б Р Е Н О.

Влоцлавскъ, Іюля 12 (24) 1897 года.

Судья Суррогать, Прелать

Ст. Ходынський.

Секретарь

Кс. Фр. Мирецкій.



01035

Illusterrimo Reverendissimo ac Excellentissimo

DOMINO DOMINO

ALEXANDRO GASIMIRO

BEREŚNIEWICZ,

S. Th. M.

ASSISTENTI SOLIO PONTIFICIO

DIOECESIS WLADISLAVIENSIS SEU CALISSIENSIS

P R A E S U L I

indefesso vigilantissimo

DE SEMINARIO EIUSQUE ALUMNIS

OPTIME MERITO:

HAEC SEMINARII HISTORIAM ILLUSTRANTIA

DOCUMENTA

QUINQUAGESIMUM AD INITO SACERDOTIO ANNUM

fauste feliciter explenti

die 12 Septembris anno 1897,

PATRONO SPECTATISSIMO

DILECTISSIMO IN CHRISTO PATRI

tenue magni amoris pignus

ANIMO GRATO DEVOTO

d. d. d.

Seminarium Wladislaviense.

## NOTITIA BREVIS

DE ORIGINE ET VARIA FORTUNA

SEMINARII WLADESLAVIENSIS.

---

Quamquam non semper exstabant pulchra et egregia instituta, quibus hodie iuvenes Deo dicati ad sacerdotium praeparantur, nunquam tamen Ecclesia cessavit eorum necessitatibus omni cura prospicere. Nam inde a Caroli Magni temporibus crescebat in diem scholarum numerus, ubi adolescentes, divinis inservituri ministeriis, primis sacrarum scientiarum elementis ad sublimi munus, quod expetebant, rite imbuebantur. Qui mos etiam in Polonia nostra viguit, neque deerant collegia, sive monasteriis adnexa, sive per urbes sub provida Episcoporum tutela florentia, sive etiam ruri privata parochorum ope sustentata, quorum alumni aliquam bonarum artium culturam adepti, deinde ad ecclesias cathedrales se conferebant, ut sub oculis presbyterorum sacras ediscerent scientias. Episcopi vero summa cum industria vigilabant, ut adesset semper et Magister grammaticam docens, alicuius simplicis beneficii fructus percipiens, et Scholasticus, praebenda gaudens theologali vel lectorali, qui sacram explicaret Scripturam. Profecto, iuvenes bona indole praediti, facile inveniebant maecenates ac patronos, quorum liberalitate adiuti, poterant plenum scientiarum cursum absolvere vel in alma litterarum universitate Cracovieusi, vel aliis in lycaeis superioribus, sive patriis sive extraneis, ibique non solum artes humaniores funditus ediscere, verum etiam uberrimam philosophiae, theologiae, iurisque sacri segetem sibi comparare. Quo curriculo emenso, maior pars iuvenum statum eligebat ecclesiasticum, in quo et speciosior ipsis patebat agendi campus, et prosperior faciliorque exspectabatur successus. Nihilominus omnes

istae scholae rationesque acquirendi scientiam, neque solis sacerdotibus praeparandis destinatae erant, neque cum nostris clericorum Seminariis recte comparari possunt<sup>1)</sup>.

Patres concilii Tridentini auctores fuere, ut collegia fundarentur specialia in usum eorum, qui vellet sacram initiari Ordinibus, quaeque propterea copta sunt Seminaria vocari, quod in illis pia iuventus, veluti semper quaedam tenera et frugifera in Ecclesiae spem laetam succeresceret. Primum quidem eiusmodi Seminarii apud nos erexit Illustr. Stanislaus Karnkowski, tunc temporis episcopus Wladislaviensis, deinde archipraesul Gnesnensis totiusque regni primas. In decreto tamen erectionis, quod promulgatum est die 16 augusti anno Dni 1569, non satis claris verbis definita est natura conditioque novi instituti, nam neque leges, quibus gubernaretur, luculenter sunt expositae, neque quod magis mirum est, officia numerusve indicantur praceptorum. Praeterea census annui, habita temporum ratione, nimis erant exigui, vix enim sufficiebant viginti quatuor alumnis sustentandis, quamquam duorum constabant vicorum redditibus, variisque decimis atque taxis pecunia solvendis. Unde factum est, ut non multo post tempore, maxime ob pestem crudelem Wladislaviae grassantem, aliasque ob causas, quas minus exploratas habemus, Karnkovi fundatio sub eius successore omnino iaceret derelicta et clerici nostri maximam partem apud Patres Societatis Jesu, qui eo tempore complura collegia scholasque per dioeceses finitimas tenebant, ad Dei servitium aliquo modo praeparentur. Neque successor Karnkovi, episcopus Rozdrażewski, quamvis praeclaris nitens virtutibus, semperque promptus ad tutandam augendamque rem christianam, videtur Seminarium istud magni fecisse, quum eo neglecto, totus esset occupatus in ordinanda schola cathedrali eique haud angustum praescriberet scientiarum cursum.

<sup>1)</sup> Quae alibi scholae cleri fuerunt, vide Lud. Thomassini: *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, lib. III c. 1 et sqq., ac Bonav. Theod. Poūan, *De Seminariis clericorum*, (Parisiis 1874).

Zapiny b  
scimus

2<sup>a</sup> orches

Tempore, quo ab alumnis orbum erat Seminarium nostrum, redditus eius in stipendia convertebantur, ut clericis extra dioecesim degentibus, quum alibi, tum Posnaniae in celeberrimo collegio Lubrancensi, victus honestus p<sup>r</sup>aeberetur. Nunquam tamen, neque Episcopus, neque Capitulum, cessabant de reduceudis illis Wladislaviam consilia inire, ibique omnia quae necessaria erant, paulatim administrare et reficere. Quamobrem pristinus census, perquam exiguis, novis augebatur conspicuis legatis, nam et episcopus Wołucki septem millia florenorum testamento reliquit. Łubieński quatuor milia quingentos, Madaliński quinque millia, itemque alii. Quum tamen non sufficerent largitiones identidem repetitiae ad Seminarium modo digno instaurandum, semper adhuc sors eius anceps haerebat et incerta. Res quidem in meliorem visa est statum verti, postquam a. 1618 pius eppus Wołucki, adiuvante Capitulo, denuo Wladislaviam Posnania transtulit alumnos, at propter bella continua, exercituum transitus, pestilentias dioecesim invadentes, vixdum redintegrata institutio denuo collapsa est, vel potius tanquam moribunda iacebat, ut nullam fere p<sup>r</sup>aeberet utilitatem, nullam vim exercret in spiritualem dioecesis progressum. Per totum saeculum nihil memoria dignum in Seminario gestum est, nihil insigne, neque in scientiis neque in virtutum cultura, quum et alumni adessent paucissimi et nonnisi unus vel duo Professores.

Miserrimae conditioni ut tandem efficacem adhiberet medicinam, eppus Constantinus Felicianus Szaniawski, novum promulgavit erectionis decretum die 31 decembr. a. 1719, tradiditque Seminarium PP. Missionariis S. Vincentii a Paulo, aucta simul re et stabilitis censibus. Ab illo vero tempore et durat feliciter et amplificatur et perficitur secundum ea, quae postulant et Ecclesiae labor multiformis, indefessus, et rerum humarum nunquam intermissa mutatio. Primis quidem annis PP. Missionarii ad id tantum intenti erant, ut iuvenes sacerdotio initiandos sacris excoherent exercitationibus et rituum sanctorum imbuerent scientia, quod facilius iis procedebat, nam fere omnes alumni, prius

Ryga d.  
naski 1

quam intrarent Seminarium, aut apud PP. Scholarum Piarum, aut in collegiis Societatis Jesu cursum absoluerant humaniorum litterarum. At suppressa hac perilustri Societate, scholis vero, quae Piae appellabantur, in usum iuventutis laicae transformatis, PP. Missionarii coacti sunt praeter theologiam, etiam philosophicas et historicas docere disciplinas, quibus aliae quoque, quae solent in gymnasiis tradi scientiae profanae, paulatim superadditae sunt, modo quidem succincto et repetitio-  
nis instar, deerant enim Seminaria puerorum, tantopere a Patribus Tridentinis olim commendata. Unde factum est, ut multiplicatis scientiis, cresceret sensim sine sensu docentium numerus.

*ad biam  
iskich*

Postquam a. 1864 Congregatio Missionis S. Vincentii a Paulo in regno Poloniae suppressa est, munera Professorum, quos ipsa suppeditabat, commissa sunt sacerdotibus saecularibus, scientia et pietate praecellentibus, qui hodie quoque Institutum administrant. Primi quidem onus perquam difficile suscepérunt fratres Zeno et Stanislaus Chodynscii, quorum alter, Zeno, proh dolor! omnibus lugentibus, iam anno 1887 decessit; alter, Stanislaus, adhuc et rectoris et professoris officio fungitur. Praeter fratres commemoratos, alii viri egregii, omnibus virtutibus, quae ministros Dei decent, insigniti, labores communes alacriter sumptos, iunctis viribus sustinere non cessant, dum quisque provinciam sibi creditam pro Dei amore fideliter gerit ac tuetur.

Quot Professores in prima Seminarii erectione designati fuerint, omnino non constat, quum numerus eorum non indicetur; valde tamen probabile est, non fusse nisi praefectum unumque professorem. In altera vero erectione numerantur: praefectus, duo professores fraterque laicus a gerenda re familiari. Crescente tamen alumnorum numero et scientiarum cursu, duo insuper additi sunt professores; hodie octo habentur ac praeter eos confessarius et procurator.

Alumnorum numerus non semper idem erat, nam in prima quidem erectione viginti quatuor stabiliti sunt, in altera non nisi duodecim, quibus victus praebebatur impensis Seminarii, poterant tamen plures recipi, dum-

modo propriis sustentarentur sumptibus. An. 1828, gubernante dioecesim eppo Josepho Stephano Koźmian, numerus auctus est ad triginta sex; posteriori tempore magis etiam crevit. Maximus anno 1888 invenitur, cum esset centum quadraginta; deinde singulis annis inter centum viginti et centum triginta cohíbebatur, quae summa quodammodo normalis est et dioecesis necessitatibus accommodata.

De scientiarum lectionibus haec fere monenda sunt. Primis quidem temporibus sola theologia moralis et dogmatica docebantur; PP. vero Missionarii adiunxerunt liturgiam ecclesiasticam, deinde studium quoque Scripturae et eloquentiam sacram vel concionariam, quibus nostro saeculo aliae scientiae accesserunt, veluti historia ecclesiastica, ius canonicum, theologia pastoralis. Atque hoc modo factum est, ut paulatim perfecta et plena disciplinarum forma componeretur, quam omnibus fere in Seminariis juvenes sequuntur. De qua re absolvenda optime meruit missionarius P. Johannes Bóbr, circa a. 1832 studiorum praefectus.

Bibliotheca ex donis orta est tum professorum, tum aliorum dioecesis nostrae sacerdotum. Anno quidem 1840 vix 1400 volumina continebat, anno 1862 nonnisi circa 2200. At post suppressa in regno Poloniae monasteria, a. 1864 inexspectatum coepit incrementum, dum undique libri, gubernio consentiente, ad eam conferuntur. Quorum summi pretii erant ii, qui ex conventu Scholarum Piarum Petricoviensi, et ex Cappucinorum domo Landensi provenerunt. Pluribus operibus recentioribus auxerunt eam primum fratres Chodynscii (1875), demum sacerdos Antonius Zagrowski (1879), qui patris sui Josephi, advocati celeberrimi varsavieensis, bibliothecam donavit iuridicam. Neque silentio fas est praetermittere liberalitatem Excellentissimi Praesulis nostri Alexandri Bereśniewicz (1896), nec non Ill-mi ac Revsmi eppi Suffr. Henrici Kossowski (1893), qui splendidis donis ampliaverunt librorum numerum. Ad quas largitiones accesserunt modestiores, haud tamen ingratiae cleri dioecesani contributiones. Quibus donis aliquis acquisitionibus bibliotheca Seminarii nostri tantopere

ditata est, ut hodie inter opulentiores totius regni habeatur. Constat enim plus minus quinquaginta millibus voluminum, ad diversissimas scientias, tum divinas tum profanas, pertinentium. Neque tamen index librorum, quem rector Stan Chodyński conficiendum curat, ad finem iam perductus est, propter occupationes innumeratas, quae operis progressum incessanter retardant. Bibliothecam unus professorum administrat, a Rectore designatus.

Census quidem inde ab initio modicissimus neque sufficiens, impedimento erat, quo minus Seminarii res recte procederent. Prima enim dotatio duobus constabat praediis rusticis, Witowo et Zbląg, quibus adiunctae sunt decimae quaedam ex nonnullis fundis Episcopi percipiendae, atque taxae ab abbatis persolvendae. Nova vero erectione a. 1719, praeter redditus illos, etiam praedium Szosnka Seminario attributum est; qui rerum status integer mansit usque ad a. 1796, quo gubernium prussicum praedium Zbląg confiscavit; duo reliqua praedia anno 1864 a nostro gubernio publicata sunt, quumque omnes redditus, quorum summa a. 1840 fuerat triginta unum millia florenorum octingenti, prorsus cessavissent, idem gubernium septem millia rubelorum et quingentos, titulo beneficii temporarii, singulis annis assiguat, quae debent omnibus sufficere expensis.

Seminarii aedificium prope cathedralē est, area spatiōiore interiacente, quae brevi abhinc tempore in hortum redacta est publicum. Platea iuxta quam Seminarium porrigitur, ab eo nomen accepit. Domus quidem pristina valde exigua erat; paulo ampliorem eppus Paulus Wołucki a. 1618 extruxit, quam a. 1720 eppus Szańiawski ampliavit hortumque adiecit. Iterum aedificium nonnihil a. 1828 eppus Koźmian adauxit, post quem a. 1843 eppus Tomaszewski, gubernio sumptus suppeditante, novam alam adiecit, ut domum antiquam cum sacello S. Vitalis coniungeret, in capellam Seminarii accommodato. Anno vero 1882, quum eppus Vincentius Popiel regeret diocesim, nova ala adstructa est, primum quidem bibliothecae in usum destinata, sed urgente necessitate mox alumnorum habitationi inserviit. De-

nique a. 1887, tenente iam sedem episcopalem Illmo et Rev. D. Alexandro Bereśniewicz, quarta ala a fundamentis erecta est, quae culinam continet, refectorium amplissimum, rectoris domicilium ipsamque bibliothecam. Itaque annis 1887 et 1888 tandem finis factus est laborum totumque aedificium undique absolutum ad normam quadrati viridarium circumcludit.

Quibus breviter et succincte enarratis, appareat, Seminarium nostrum his ultimis triginta annis utilissima, et celerrima coepisse incrementa, non solum quoad statum materialem, verum etiam in scientiarum progressu, qua de re magnopere duo rectores insignes meruerunt, Franciscus Płoszczyński et Zeno Chodyński, ille a. 1873, hic vero a. 1887 vita defunctus.

Quod vero Episcopos attinet dioecesis nostrae atque Capitulum cathedrale, quale olim exstitit, magnis facultatibus exornatum, fatendum est, semper iis cordi fuisse Seminarii prosperitatem nihilque habuisse antiquius, quam ut prospicerent eius necessitatibus, quatenus rerum ratio et conditio sinebant, non semper dioecesi nostrae propitia. Nunquam profecto cessabant in studio et opere suo vel difficillimis temporibus, sive eius dignitatem defendantes, sive augentes splendorem. Alii quidem eius progressum curabant materialem, alii leges sanciebant bene provisas et diligenter exploratas, atque summo cum ardore invigilabant, ne alumni umquam defleterent a difficili tramite virtutum sacerdotalium. Quos inter viros dignissimos meritis laudibus nostri aevi Episcopi extollendi sunt, qui usque ad Ill. ac Rev. D. Bereśniewicz nostram rexere dioecesim. Quum tamen nobis propositum sit, mox ampliorem dioecesis nostrae Seminarii historiam lingua polona typis vulgare, hanc brevem et tanquam praeviam notitiam amplius nolumus protrahere, lectoremque rei curiosum, ad nostrum opus futurum delegamus, ubi plura inveniet, accuratius *exposita et copiosius enarrata.*

*Rektoriavie w III m  
My wypisa?*



**PROFESSORES SEMINARII DIOECESANI WLADESLAVIENSIS**

**anno 1897.**

— 63 —

*Regens*, Stanislaus Chodyński, S. Th. C., Protonotarius Apostolicus, Decanus Cathedrae, Judex Surrogatus Consist. Gener. Wlad. et Administrator parochiae in Wieniec.

*Vice-Regens*, Vladislaus Krynicki, S. Th. M., Curatus paroch. in Rzgów.

Franciscus Stopierzyński, S. Th. C., Praelatus Suae Sanctitatis, Archidiac. Cath., Visitator Monasterior., Adm. par in Głuchów.

Joannes Nep. Sobczyński, Vice-Notarius Judicii Episcopalis et Adm. par. in Piątek Wielki.

Stanislaus Mirecki, S. Th. M., Adm. par. in Kłobia.

Adalbertus Kmiec, Adm. par. in Lubomin.

Stanislaus Bajer, S. Th. M., Capellanus Excel. Episcopi, Vic. in Klonowa.

*Director chori et Professor Cantus*, Leo Moczyński, Adm. par. in Chwalborzyce.

*Pater spiritualis*, Leo Michalski, Can. Cath. et Praepos. par. in Nieszawa.

*Procurator*, Venceslaus Boratyński, Vic. Cath.



I.

DOCUMENTA ERECTIONIS.



*ministrorum*

Quum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: sancta Synodus statuit, ut singulae cathedrales, metropolitanae atque his maiores ecclesiae, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti ab episcopo eligendo alere, ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur... ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit. *Conc. Trid. Sess. XXIII c. 18 de Reform.*



**ERECTIO CARNKOVIANA**  
**SEMINARII WLADISLAVIENSIS.**

16/8/1569

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam inter plurima quae in Concilio generali Tridentino laudabiliter instinctu spiritus sancti sunt constituta non minus necessario quam utiliter Ecclesiae Dei provisum est, ut singulae Cathedrales Metropolitanae atq. his maiores Ecclesiae pro modo facultatum suarum et Dioecesis amplitudine certam puerorum ipsius Dioecesis vel Provinciae si ibi non reperiantur numerum in Collegio, ad hoc prope ipsas Ecclesias vel in alio loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiose in Ecclesiasticis doctrinis educare. seu alias seminarium perpetuum Dei ministrorum instituere teneantur. Proinde Nos Stanislaus Karnkowski Dei et Apostolicae sedis gratia Wladislaviensis et Pomeraniae Episcopus constitutioni et ordinationi huiusmodi Concilii generalis innitentes, communicato super hoc consilio Venerabilium fratrum nostrorum Praelatorum et Canonicorum totiusque Dioecesis nostrae Abbatum et aliorum clericorum assensu in Synodo Dioecesana nostra cum primum ad hanc Episcopalem Cathedram divina gratia enecti sumus in Civitate nostra Wladislavia solenniter celebrata, Seminarium huiusmodi in Dei nomine in eadem Civitate nostra circa Ecclesiam maiorem instituendum atq. ordinandum et specialiter dotandum decrevimus, prout huius diplomatis nostri tenore instituimus et ordinamus pro dote et fundo ipsi (unde tam Praeceptores ac Magistri qui eidem Seminario praesint idq. in bonis literis et disciplina Christiana ad pietatem instituant, mercedem et stipendia; quam ipsa iuventus Seminarii victum vestitum libros et alios sumptus in omnibus habeant necessarios) villas mensae nostrae Withow et Sbliąg cum ipsarum praediis,

in ludy m 15  
 (cf. Mth XVII,  
 Stat. s. g. v.)

Uroszanie

agris, pratis, censibus, proventibus et obventionibus universis ad illas quomodolibet pertinentibus: nec non decimas manipulares omnis grani et seminis post agros villarum nostrarum Episcopaliū Chelmcze, Szosnka et Kiczko provenientes quae ab antiquo ad mensam pertinebant Episcopalem. Insuper et liberam molitionem frumentorum pro usu illorum absq. solutione mensurae molariae in molendiis nostris Civitati Wladislaviensi adiacentibus in quibus illis commodum videbitur, eorumdem Venerabilium fratrum nostrorum assensu accedente perpetuo damus et assignamus per praesentes. Qui qui-dem proventus et obventiones universae dictarum villarum et decimarum ad sexingentorum florenorum per mediam sexagenam peccuniarum numeri et monetae Polonicalis summam citra vel ultra ascendere existimantur. Et praeter hoc ad eiusdem Seminarii magis augendum (—) Reverendi domini Laurentius Źaliński Coronowiensis, Caspar Gieskaw Oliweus... (lacuna) Peplinensis, Dioecesis nostrae Wladislawiensis Abbates Ordinis Cisterciensis singuli ex suis Abbatialibus proventibus per centum, Reliqui vero Praepositi Regulares in Pomerania existentes cum suis Conventibus, nimirum Cartuziensis, Źarnowiensis, Źuchowiensis, omnes simul centum florenos numeri et monetae Polonicalis praedictorum Decreto Synodi nostrae praefate interveniente annuatim pro quolibet festo sancti Martini Confessoris et Pontificis temporibus perpetuis iuxta Decretum Concilii praedicti Tridentini collatuos se esse liberaliter receperunt et sub excommunicationis et aliis arbitriis poenis se et successores suos submiserunt Privilegiis et exemptionibus quibusvis non obstantibus. Ad id vero Collegium Seminarii huiusmodi recipientur adolescentes viginti quatuor, iuxta eiusdem Concilii Tridentini prescriptum ex legitimo matrimonio progeniti, qui ad minimum quindecimum compleverint annum ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles seu voluntas spem afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo et fructuose inservituros esse. Inter quos esse debebunt octo Germanicae linguae periti. Pauperum autem filios praecipue ad hoc eligi decernimus; nec tamen

ditiores a studio et conviectu atq. collegio huiusmodi excludimus modo suo alantur sumptu et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi, et ex praescripto legum seminarii vivere velint, ita ut hoc Collegium Dei ministrorum perpetuum sit seminarium, unde nos et successores nostri Wladislavienses Episcopi et nostro eorumq. permissu inferiores Praelati cum consilio Rectoris et Magistrorum ipsius Seminarii cum opus et opportunum fuerit, idoneos ministros ad functiones Ecclesiasticas et curam animarum assument: Cui rei melius prospicientes, eos iuramento obstrictos et obligatos esse volumus ut in primo in Seminarium ingressu iurent se nusquam alibi, quam in Dioecesi nostra wladislaviensi functiones Ecclesiasticas obituros ipsiq. soli inservituros esse. Convenit enim ut erga hanc se gratos et memores probent huicq. pietatem doctrinam operamq. suam omnem obligent, quae illos beneficiis suis aluit, atq. ad virtutum et scientiarum culmen Ecclesiasticaeq. dignitatis fastigium evexit. Si vero quem necessitas vel privatae alicuius rei rationes sequi contingat ut in vinea Dioecesis nostrae laborare fructumq. in ea doctrinae suae exhibere non possit, is omni sumptu et impendio repenso Oeconomooq. et Rectori Seminarii qui hoc aestimabunt redditio, liber ab hoc iuramento, nec ei obnoxius esse censetur; ita tamen, ut eius conditionis ratio Oecono mo Rectoriq. constet, quorum consensu omnia faciet. Ut autem commodius disciplina Ecclesiastica imbuantur, statim tonsura et habitu Clericali utentur. Grammaticam, cantum, Computum Ecclesiasticum, aliasq. bonas et Sacerdotalibus functionibus utiles artes discent; sacram scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias sanctorum, atq. Sacramentorum tradendorum et rituum ac caeremoniarum Ecclesiasticarum formas et rationes (et maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna) a Magistris et praceptoribus suis imbibent et secundum aetatem et progressum studiorum suorum in praedicando et apte disseminando verbo Dei se se exercebunt, vel saltem Catechismum et Ewangelia privatim in Scholis ac interdum diebus Dominicis et aliis celebribus publice a prandiis in aede Divi Vitalis in vulgari

2



Declamatorio more Concionatorum seu lectorum explicando declarabunt. Erit autem curae Praeceptoribus et moderatoribus ipsius Collegii pro tempore existentibus, ut imprimis singulis diebus antequam studia sua aggredientur, Missae sacrificio adolescentes ipsi, astantibus nonnullis praceptorum pie religioseq. intersint, ac saltem siugulis mensibus confiteantur peccata, et iuxta Confessoris iudicium tam nostra quam successorum nostrorum autoritate, aut Capituli vel praefectorum seminarii huiusmodi voluntate et arbitrio eligendi, sumant corpus Domini nostri Jesu Christi. Cathedrali quoq. et aliis loci illius Ecclesiis. Dominicis et aliis festis diebus summam Missam et vespertinas preces canendo inserviant. Quibus omnibus et aliis ad hanc rem opportunis et necessariis rite explendis et exequendis Episcopus pro tempore existens, vel in absentia eius in spiritualibus Vicarius et duo vel unus duntaxat e Canonicis senioribus et gravioribus, quos vel quem Capitulum de medio sui delegerit, saepius hoc ipsum Collegium visitando superintendent, discolos ac incorrigibiles, ac malorum morum seminariores acriter puniendo, eos etiam si opus fuerit re prius ad nos relata, expellendo, omniaq. impedimenta auferendo, quaecumq. conservando bono ordini obstarare videbuntur. Proventus autem et redditus omnes et singulos, ac bona et Decimas superius descriptas, et quascumq. alias obventiones eiusdem Seminarii, successu temporis Deo iuvante augendas, Oeconomus Ecclesiae nostrae quem aliis literis et ordinatione nostra cum Capituli nostri consensu in hunc et alios usus instituimus, in cura et potestate ac provisione sua, perpetuo habebit, illasq. administrabit, colliget, ac dispensabit, cum consilio, si opus fuerit, Venerabilis Capituli eiusdem Ecclesiae nostrae, iuxta ordinationem et dispensationem desuper per nos eidem Seminario dannam. De qribus quidem proventibus et redditibus universis, perceptis, expositis, dictus Oeconomus, singulis annis, nobis et successoribus nostris, pro tempore existentibus, in Capitulo generali festi sanctorum trium Regum Ecclesiae wladislaviensis, praesentibus, vel ad minus tribus de Capitulo eiusdem Ecclesiae Praelatis

seu Canonicis deputandis, et Rectore seu Magistro rationes reddet. Quod si quo casu, aliquando supradictum seminarium dilaberetur, vel diminueretur, nihilominus proventus eius ab Oeconomo diligenter colligi, et asservari debebunt, ipsumq. Seminarium quam primum colligi et suppleri, ut in ipsis ac non in ullos alias usus ii convertantur. Si forte autem ipsi proventus interciperentur ad tempus vel impedirentur, iure erunt repetendi, nostro et successorum nostrorum pro tempore existentium sumptu, et repetiti non nisi in eiusdem seminarii usus convertendi. Sin vero imminuerentur ita ut viginti quatuor adolescentes cum Magistris et preceptoribus suis et necessariis administris inde commode sustentare nequeant, licebit nobis et successoribus nostris Episcopis Wladislawiensibus, cum consensu Veuerabilis Capituli, numerum adolescentum imminuere, et alia quaevis facere, quae ad conservationem et incrementum duntaxat, non autem ad eversionem sive labefactationem huius nostrae salutaris constitutionis et ipsius Seminarii pertinere videbuntur. In quorum omnium fidem et testimonium sigilla nostrum et Capituli nostri subappendi curavimus. Datum Wladislawiae postridie Assumptionis Beatae Mariae Virginis Anno domini Mille-simo quingentesimo sexagesimo nono. Praesentibus Reverendis ac Venerabilibus dominis Josepho Konarzewski Archidiacono, Joanne Wilkowski, Stanislao Sczawiński, Andrea Naramowski, Casparo Hannovio, Andrea Blinowski, Martino Gosliczki, Alberto Borukowski, Joanne Piotrowski, Petro Wysczelski: Praelatis et Canonicis Ecclesiae nostrae Wladislawiensis.

Stanislaus Carnkowski Dei gratia Episcopus Wladislawiensis Manu propria subscrispit.

Transivit per manus Stanislai Dambrowski Cracoviensis et Wladislaviensis Canonici.

Duo *sigilla*: Episcopi et Capituli Wladislaviensis, appensa in eodem funiculo sericeo flavi, viridis et rubri coloris, utrumque in cera expressum.

(Ex documento authentico. Apographum in archivo Capit. Wlad. vol. 24, f. 142).



1568 do 1  
f. 142 v. 1  
g. 142 v. 1  
mam. tipo 1  
de Narwak

CONFIRMATIO  
S. SEDIS APOSTOLICAE

INSTITUTIONIS SEMINARII WLADISLAVIENSIS,

sub Pontificatu S. Pii V Papae, an. 1571 facta.

Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo, die vero decima octava mensis Augusti. Reverendissimus in Christo Pater et Dominus Dominus Stanislaus Carnkowskij Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, constitutus personaliter in medio Reverendorum ac Venerabilium Dominorum Praelatorum et Canonicorum ecclesiae cathedralis Wladislaviensis, pro praesenti Capitulo generali festi Assumptionis gloriosissimae Virginis Mariae feliciter congregatorum, et illud celebrantium, tenens et habens suis manibus litteras confirmationis Seminarii Wladislaviensis (et creationis officii Oeconomatus Wladislaviensis) S. Sedis Apostolicae, quas Sua Reverendissima Paternitas praesentibus actis seu Statuto ecclesiae inscribi et ingrossari obtinuit. Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Beatissime Pater! Nuper devota Creatura Vestra, Stanislaus Carnkowskij, epus Wladislaviensis et Pomeraniae, iu Synodo Dioecesana, accidente dovotorum virorum Praelatorum et Canonicorum et Abbatum ac Clericorum dioecesis Wladislaviensis consensu, inhaerendo decretis sacri oecumenici Concilii Tridentini, Seminarium pro erudiendis pueris in civitate Wladislaviensi circa maiorem ecclesiam instituere et dotare decrevit, prout iu praefata civitate instituit et ordinavit, et pro illius dote et fundo (unde tam praeceptores ac magistri, qui eidem Seminario praesint, idque in bonis litteris et disciplina christiana ad pietatem instuant, mercedem et stipendia, quam ipsa iuventus Seminarii victum, vestitum, libros et alios sumptus in omnibus habeant necessarios), villas mensae suaee Wijtow

et Zblag cum ipsarum praediis, agris, pratis, censibus, proventibus et obvencionibus universis ad illas quomodolibet pertinentibus, necnon decimas manipulares omnis grani et seminis post agros villarum episcopalium Chelmcke, Sosnka et Kijczko, provenientes, quae ab antiquo ad mensam ecclesiae Wladislaviensis pertinebant, insuper et liberam molicionem frumentorum pro usu dicti Seminarii, absque solucione mensurae molitoris, in molendinis ad mensam praefatam civitati praedictae adiacentibus, in quibus agentibus dicti Seminarii commodum videbitur, accidente praelatorum et aliorum praedictorum assensu, perpetuo dedit et assignavit. Qui quidem proventus et obvenciones universae dictarum villarum et decimarum ad sexingentorum florenorum per mediam sexagenam pensando, numeri et monetae polonicae summam citra vel ultra ascendens, existinuntur. Et ut dicti Seminarii fructus ubiores essent, devoti vestri Laurentius Zielijskij Coronoviensis, et Caspar Geschkaw Olivensis et Pelplinensis, dioecesis Wladislawien. abbates Ordinis Cisterciensis, singuli de suis abbatialibus proventibus per centum, reliqui vero Praepositi Regulares in Pomerania existentes, cum suis Conventibus Carthusiensi, Żarnowiensi, Żuchowiensi, omnes simul centum florenos numeri et monetae polonicae praefatorum, annuatim, pro quolibet festo S. Martini Confessoris, temporibus perpetuis, iuxta decreta dicti Concilii Tridentini collatuos se esse libraliter receperunt, et sub excommunicationis et aliis arbitriis poenis se et successores suos submiserunt; privilegiis et exemptionibus quibusvis non obstantibus. In quo quidem Seminario recipientur viginti quattuor adolescentes, ex legitimo matrimonio progeniti, qui ad minimum quindecimum compleverint annum, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles seu voluntas spem afferat, eos Ecclesiae ministeriis perpetuo et fructuose inservituros esse, inter quos esse debebunt aliqui germanicae linguae periti. Pauperum autem filios praecipue ad hoc eligi eadem Creatura decretivit, nec tamen ditiores a studio et convictu atque Seminario huiusmodi exclusit, modo suo alantur sumptu

et studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi, et ex praescripto legum Seminarii vivere velint. Unde ipsa Creatura et successores sui Wladislavienses Episcopi, et eiusdem Creaturae, eorumque permissu inferiores Praelati, cum consilio Rectoris et magistrorum ipsius Seminarii, quum opus fuerit, idoneos ministros ad functiones ecclesiasticas et curam animarum assumant, cui rei melius prospiciendo, eos iuramento obstrictos et obligatos eadem Creatura esse voluit, ut primo in Seminarium ingressu iurent se nusquam alibi quam in dioecesi Wladislaviensi functiones ecclesiasticas obitueros, ipsique soli inservituros esse, quum conveniat, ut erga illam se gratos et memores probent, hincque pietatem, doctrinam, operamque suam omnem obligent, quae illos beneficiis suis aluit, atque ad virtutum et scientiarum culmen ecclesiasticaeque dignitatis fastigium duxit. Si vero quem neccesitatis vel privatae rei rationes sequi contingat, ut in vinea dioecesis Wladislaviensis laborare, fructumque in ea doctrinae suae exhibere non possit, is omni sumptu et impendio repenso, oeconomique et Rectori Seminarii, qui hoc aestimabunt, reddito, liber ab hoc iuramento nec ei obnoxius esse censebitur, ita tamen, ut eius conditionis ratio oeconomia Rectorique constet, quorum consensu omnia faciet. Ut autem commodius adolescentes huiusmodi disciplina ecclesiastica imbuantur, statim tonsura et habitu clericali utentur, Grammaticen, Cantum, Computum ecclesiasticum aliasque bonas et sacerdotalibus functionibus utiles artes dissent, sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum et rituum, ac caeremoniarum ecclesiasticarum formas et rationes (et maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna), a magistris et praceptoribus suis imbibent, et secundum aetatem et progressum studiorum suorum in praedicando et apte disseminando verbo Dei sese exercebunt, vel saltim Catechismum et Evangelia privatim in Scholis ac interdum diebus dominicis et aliis celebribus publice a prandiis in aede divi Vitalis in vulgari declamatorio more Concionatorum seu lectorum explicando declarabunt. Erit autem curae praceptoribus

et moderatoribus ipsius Collegii pro tempore existentibus, ut imprimis singulis diebus antequam studia sua aggrediantur, Missae sacrificio adolescentes ipsi, astantibus nonnullis praceptorum, pie religioseque intersint, ac saltim singulis mensibus confiteantur peccata, et iuxta Confessoris iudicium, tam ipsius Creaturae quam Episcoporum Wladislaviensium pro tempore existentium auctoritate, aut Capituli vel praefectorum Seminarii huiusmodi voluntate et arbitrio eligendi, sumant sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi; Cathedrali quoque et aliis loci illius ecclesiis, dominicis et aliis festis diebus summam Missam et vespertinas preces canendo, inserviant. Quibus omnibus et aliis ad hanc rem opportunis et neccessariis rite exequendis et explendis, Episcopus Wladislaviensis pro tempore existens, vel in absentia eius in spiritualibus Vicarius, et duo vel unus duntaxat ex Canonicis senioribus et gravioribus, quos vel quem Capitulum ecclesiae praefatae Wladislaviensis de medio sui delegerit, saepius hoc ipsum Collegium visitando, superintendet, discolos et incorrigibiles malorum morum seminatores acriter puniendo, eos etiam si opus fuerit, re prius ad ipsam Creaturam et ipsius successores Episcopos Wladislavienses relata, expellendo, omniaque impedimenta auferendo, quaecunque conservando bono ordini obstare videbuntur. Proventus autem et redditus omnes et singulos, ac bona et decimas superius descriptas, et quascunque alias obvenciones eiusdem Seminarii successu temporis, Deo iuvante, augendas, Oeconomus ecclesiae Wladislaviensis in cura et potestate ac provisione sua perpetuo habebit, illaque perpetuo administrabit, colliget ac dispensabit, cum consilio, si opus fuerit, Capituli ecclesiae Wladislaviensis, iuxta ordinationem et dispensacionem desuper per dictam Creaturam dandam. De quibus quidem proventibus et redditibus universis, perceptis et expositis, dictus oeconomus singulis annis eidem Creaturae et successoribus suis Episcopis Wladislaviensibus, in Capitulo generali festi Sanctorum trium Regum ecclesiae Wladislaviensis praesentibus, vel ad minus tribus eiusdem ecclesiae Praelatis seu Canonici-

cis deputandis, et Rectore seu magistro, raciones reddet. Quod si quo casu aliquando supradictum Seminarii dilaberetur vel diminueretur, nihilominus proveniens eius ab oeconomia diligenter colligi et asservari debebunt, ipsumque Seminarium quamprimum colligi et suppleri, ut in ipsis ac non in ullos alias usus hi convertantur. Si forte autem ipsi proventus interciperentur ad tempus, vel impeditarentur, iure erunt repetendi, ipsius Creaturae et successorum suorum Episcoporum Wladislaviensium sumptu, et repetiti non nisi in ipsis Seminariorum usus convertendi. Si vero imminuerentur, ita ut XXIV adolescentes cum magistris et praceptoribus suis ac necessariis administris inde commode sustentari nequeant, licebit eidem Creaturae et suis successoribus Episcopis Wlad., cum consensu dicti Capituli, numerum adolescentium imminuere et alia quaevi facere, quae ad conservacionem et incrementum duntaxat, non autem ad eversionem sive labefactacionem huius salutaris constitutionis et ipsius Seminariorum pertinere videbuntur. Aliasque et alia eadem Creatura decrevit et mandavit, prout in litteris desuper confectis, quarum tenorem etc. Beatitudini Vestrae pro expressis habere placeat, plenius continetur. Cum autem Pater Sanctissime, ea, quae a B. V. et Sancta Sede Apostolica confirmantur et approbantur, diutius et firmius observentur suosque plenarios et integros sortiantur effectus, supplicant igitur B. V. (Beatitudinem Vestram) devoti illius oratores eiusdem Seminariorum praefecti, quatenus veriores praedictarum litterarum tenores etc. pro expressis habendo sibique speciale gratiam faciendo, institutionem, ordinationem, dationem, assignacionem, receptionem, submissionem, decretum, voluntatem, aliaque praemissa, ac omnia et singula in dictis litteris desuper confectis contenta, et inde sequuta ac sequenda quacunque Apostolica auctoritate confirmare et approbare, illisque perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicere, eaque omnia per eos ad quos id quomodolibet spectat et in futurum spectabit, inconcusse ac inviolabiliter observari debere, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, sed ad illorum omnium observationem per-

petuo obligatos fore et esse, ac ad id etiam per omnes ecclesiasticas ac pecuniarias poenas cogi et compelli posse: sive per quoscunque iudices etc. sublata etc. iudicari etc. debere, irritum quoque etc. decernere, omnesque et singulos, tam iuris quam facti ac soleunitatum, etiam de iuris necessitate aut alias quomodolibet requisitorum, forsan omissarum, defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplere, decretumque pariter et auctoritatem interponere dignemini de gratia speciali, non obstantibus praemissis quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis, decretis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, statutis etc. ac stabilimentis etc. et iuramento etc. roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis articulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, etc. quibus omnibus, etiam si de illis etc., illorum tenores etc. latissime hac vice duntaxat specialiter et expresse derogare placeat, caeterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunitatis et consuetis.—Fiat ut petitur. M.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. et quidem dictarum litterarum veriores tenores etc. habeantur pro expresso, seu in toto vel in parte expressissime ponitur in litteris, et de confirmatione, approbatione, roboris adiectione, defectuum suppletione, decreti et auctoritatis interpositione, derogatione, et aliis praemissis, quae hic pro sufficienter repetitis ad partem habeantur, perpetuo in forma gratiose in litteris latissime docentur, et cum opportuna, si videbitur iudicium executorum deputatione, qui assistant, et praemissa, etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis videlicet et poenis, etiam pecuniariis, eorum arbitrio moderandis et applicandis, observari faciant, cum potestate citandi ac sub eisdem censuris et poenis inhibendi inobedientesque et rebelles quoscunque sententias et poenas huiusmodi incidisse et incurrisse declarandi, aggravandi, reaggravandi et interdicendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, cum dietarum, dummodo non ultra tres, qua-

tenus opus sit opportuna derogatione, in litteris latissime factis et quidem praemissorum omnium et singulorum, etiam cognominum, invocationum, situationum bonorum, aliorumque circa praemissa necessariorum, maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris expediendis. — Fiat. M. Datum Romae apud Sanctum Petrum quartodecimo kalendas Junii, anno sexto. (*Lib. 186, fol. 95.*)

---

2.

**ERECTIO NOVA**

SEMINARII WLADISLAVIENSIS

pro Sacerdotibus Congregationis Missionum anno D-ni 1719

AB EPISCOPO CONSTANTINO FELICIANO SZANIAWSKI FACTA.

---

Constantinus Felicianus Szaniawski  
Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Wladislavien-  
sis et Pomeraniae, Nominatus Cracoviensis.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter caetera Pastorale Nostrae sollicitudinis Officia, illud primo et principaliter ad Nos, ex dispositio-  
ne S. Concilii Tridentini spectare et pertinere dignoscitur, ut Seminaria Clericorum Dioecesis Nostrae, quan-  
tum in Domino possumus, quo ad Spiritualia in debito  
ordine, vigore, et disciplina, quoad temporalia vero, in  
sufficienti Alumnorum numero et provisione ad maiorem  
Dei Omnipotentis Gloriam et Sanctae Matris Ec-  
clesiae incrementum administrentur, et pro tempore regantur. Et licet per Dei Gratiam in primo Nostro in  
Dioecesim hanc ingressu, circa Sponsam Nostram Ca-  
thedralem Ecclesiam, Seminarium eximia Illustrissimi et  
Reverendissimi olim Stanislai Karnkowski Episcopi  
pietate, satis competenter pro tunc in Villis Mensae

Episcopalis Witow et Zbląg, et earum praediis, agris, censibus et proventibus universis, nec non decimis manipularibus Villarum Episcopalium Chełmnce, Szosnka et Kicko, tum quoque in pensionibus Reverendissimorum Coronoviensis, Olivensis et Pelplinensis Abbatum, per florenos centum a singulis, ab aliis vero Regularibus in Pomerania, scilicet Carthusensi, Żarnoviensi et Żukovieusi Conventibus, simul iunctis, aliis florenis centum (qui se Suosq. Successores in Synodo Diece-sana Karnkowiana vigore Concilii Tridentini ad eas annuatim exolvendas obligaverunt) fundatum et de nova radice erectum; successive pari quoque Zelo et munificentia aliorum gloriosae memoriae Illustrissimorum et Reverendissimorum Praedecessorum Nostrorum, utpote Pauli Wołucki, Matthiae Łubieński et Bonaventurae Madaliński Episcoporum Wladislaviensium, in proventibus auctum reperimus; quorum primus pro eodem Seminario a summa originali Septem Millium, in bonis terrestribus Zacharz locata, ad praesens vero per Nos vindicata et in aliis bonis sufficientibus, postquam a Possessoribus praedictorum bonorum Zacharz exoluta fuerit, locanda, censem annum quadringentorum nonaginta florenorum assignavit. Secundus ex bonis Venerabilis Capituli Sztolcemberg censem annum trecentorum florenorum pruthenicalium in perpetuum exolvendum ordinavit, deinde summam aliam trium millium florenorum una cum censu centum quinquaginta florenorum in praetorio Gedanensi inscripsit, quod praetorium pro nunc per centum quinque solvit. Tertius ad extremum, summam quinque millium cum censu ducentorum quinquaginta florenorum, per Venerabile Capitulum repetendorum, ad praesens in Bonis Więclawice haerentem, testamentaliter addidit. In experto nihilominus habentes, per hosce tredecim Regiminis Nostri Episcopalis annos, quod non solum suprascriptae originalis foundationis dicti Seminarii Villa, Decimae, per Reverendissimos Abbates et Conventus assignatae pensiones, verum et successive in auctionem proventuum per Reverendissimos Praedecessores Nostros collati et in Bonis terrestribus locati census, ob varias Regni huius calamitates et temporum

vicissitudines, piissimis Fundatorum non correspondunt intentionibus, debitaq. sua importancia saepius Provisores Seminarii fecellerint adeo, ut nunquam certus alumnorum numerus et sufficiens pro eis provisio haberi, nec stabiliter ordinari potuisset. Nos proinde et ante omnia primaevam huiusmodi Karnkowanam Foundationem et Seminariorum ordinationem in omnibus et singulis punctis, articulis et clausulis, uti Conc. Tridentinae Sessione XXIII cap. XIII de Reformat. conformem, conservare et manuteneret volentes, insistendo Sanctis Praedecessorum Nostrorum exemplis et vestigiis, quo certior et in omnem casum, si non maior, saltem sufficiens Alumnorum iam non viginti quatuor (prout Originalis Ordinatio vult), sed duodecim duntaxat provisio haberi queat, in novam auctionem eius de mensa Nostra Episcopali, libenter contribuendum esse duximus, prout et communicato Perillustrium Reverendissimorum et Adm Reverendorum Dominorum Praelatorum et Canonorum totiusque Venerabilis Capituli Ecclesiae Cathedralis Fratrum Nostrorum Charissimorum consilio et assensu, contribuimus eidemque Seminario iam alias per Reverendissimum olim Karnkowski erectorum (ad cuius Praefecturam, et exactius in Spiritualibus et temporibus hinc et in posterum servandum regimen, Adm R. Rudos Congregationis Missionis Presbyteros, quorum cura et opera alia quoque Dioecesum Regni huius laudabiliter reguntur Seminaria, nunc et in perpetuum assumimus). Advocatiam in villa Szosnka, quam de manibus Potentiorum huius Palatinatus Nobilium aere proprio et authoritate evicimus et vindicavimus, una cum sorte Episcopali vix sexcentos tynphones etiam optimis temporibus proventus annui efficiente, (in recompensam cuius alias advocatias, videlicet in Villis Grzywna, Dzwierchno, Wonorz, Ośniszczewko et Grabkow, ad redditus mensae Episcopalis adiunximus et incorporavimus), hinc et in perpetuum, ac irrevocabiliter cum omni usufructu et proventibus universis adiicimus, adiungimus et incorporamus taliterque ut praemissum est per Nos aucto, et ut infra ordinando, Adm Rndum Stanislaum Josephum Siedlecki de eadem Congregatione

Missionis Presbyterum in Praefectum et Regentem constituimus, eundemque in possessionem realem et actua-  
lem tam Seminarii Nostri Wladislaviensis, quam supra-  
scriptorum omnium Bonorum et redditum eius, per Peril-  
lustres Provisores, a Nobis et Venerabili Capitulo spe-  
cialiter eligendos, extunc intromittendum, nec non ad  
Inventaria per Nos relicta et applicata conscribendum,  
statuimus et decernimus, conditionibus nihilominus in-  
frascriptis mutuo et ad invicem cum facultate Superiorum  
Missionis concordatis et acceptatis.

1. Quod ex suprascriptis proventibus Seminarii duo-  
decim Alumni, octo Polonicae, quatuor Germanicae lin-  
guae gnari, in competente victu et commoditate foveri  
debeant (dummmodo prout speratur, proventus fuerint  
semper ad talem numerum sufficientes; sin secus, ad pro-  
portionem diminutionis redditum, necessario minuendus  
erit numerus Alumnorum), cum amictu duarum vestium  
superioris et inferioris, dando duobus vel tribus circi-  
tus, praesertim illis Clericis, qui annorum vel doctrinae  
competentiam non habentes, sese per biennium in  
Seminario ad usus et servitia Dioecesis huius et non al-  
terius instruendi iuramento obligaverint, praevio tamen  
diligenti ac rigoroso per Praefectum examine, super ca-  
pacitate faciendo. Quem autem sic, ut praefertur, ido-  
neum et capacem commendare voluerit Venerabile Ca-  
pitulum, talis recommendatio in omni respectu habenda  
erit. Licebit tamen Adm Rndo Praefecto, habito com-  
pleto numero duodecim Seminaristarum, Convictores  
alios sese in Spiritu Ecclesiastico et doctrina exercen-  
dos, ac in hoc Seminario propriis impensis alendos, sus-  
cipere et pro capacitatem loci et temporis circumstan-  
tia fovere.

2. Seminaristae praedicti debebunt erudiri in Theo-  
logia Morali aliisque bonis et sacerdotali functioni ac-  
commodatis artibus, scilicet Cathechismo, Cantu Cho-  
rali, Computo Ecclesiastico, Controversiis fidei, praecipue  
ut sciant Sacramentorum tradendorum, Ceremoniarum, ri-  
tuum Ecclesiasticorum formas, et earum rationes, ma-  
xime quae ad confessiones audiendas videbuntur oppor-  
tuna, et secundum profectum studiorum suorum in p[re]a-

dicando et apte disseminando Verbo Dei sese exercebunt. Cathechismum diebus dominicis in templo parochiali Wladislaviensi, aliis vero celebris Festis a prandiiis in Ecclesia S. Vitalis ad pulpitum declamando: (iuxta methodum practicam a Directore praescriptam), cuius Ecclesiae usum loco Capellae, iisdem Seminariis permittimus, non derogando in quopiam iuribus ac proventibus Praepositi, et hospitalis eiusdem Ecclesiae.

3. Erit curae Adm Rndi Praefecti moderni et pro tempore existentis, ut Seminaristae imprimis singulis diebus ante studia sua sacrosancto Missae sacrificio pie et religiose audiendo intersint, singulis Dominicis et Festis peccata sua confiteantur atque communicent (nisi aliter Director vel Confessarius iudicaverit). Dominicis autem et Festis Matutino et secundis Vesperis adsint, ad primas autem Vespertas Dominicanarum vel Festorum simplicium non tenebuntur, ut maius tempus habeant ad lectiones, vel Conferentias de casibus conscientiae, tunc temporis exercendas. *Item in iisdem simplicibus Dominicis et Festis a Matutino liberi erunt, ut illud tempus orationi mentali, vel Collationi Spirituali, iuxta morem Seminarii, circa eandem impendere utilius queant*<sup>1)</sup>). In solemnibus vero eidem Matutino adesse tenebuntur; item Missis solemnibus ad maius Altare per Praelatos decatandis assistant, et a Matutino Dominicali, seu Festivo, Missis privatis Perillustrium Praelatorum et Canonicorum diligenter inserviant; in decantandis 2-is Vesperis Dominicibus et Festis, tum quoque in Horis Divini officii diebus praedictis Vicarios Cathedrales adiuvent, processionibus ordinariis et extraordinariis intersint, diebus tamen Ferialibus exceptis, quibus ad obsequia Ecclesiae, et Perillustrium DD. Capitularium non erunt adstricti.

4. Ut autem supradescripta Ordinatio diligenter et incessanter servari possit, et nihil tam in Spiritualibus quam temporalibus bono ordini, propter infirmitatem vel absentiam unius desit, praeter Rndum Dnum

---

<sup>1)</sup> Hoc punctum subductum excluditur: *sic ad marginem annotatum in documento erectionis.*

Praefectum, alii duo Sacerdotes et unus Frater Coadiutor statim ab apprehensione Directionis Seminarii admitti debent; Nobis autem, Successoribus, et Suffraganeis nostris, solemniter celebrantibus, vel Ordinationem sacram habentibus in Ecclesia Cathedrali, ipse Rndus Dnus Praefectus, vel alius eo impedito, assistere, et rectum ordinem ceremoniarum dirigere curabit. Pro subsistentia habebunt competentem victimum cum Alumnis. Adm Rndus Praefectus et alii duo Sacerdotes, singuli pro amictu per tynphones trecentos, Frater autem ducentos annuatim ex proventibus Seminarii percipient; hoc tamen meliori modo praecustodito, quod R. Rudi Sacerdotes Congregationis Missionis ordinarie titulum non Domus suae Congregationis in Seminario Nostro assument, sed nomen Praefecture semper et invariabiliter retineant.

5. Visitationem istius Seminarii quoad gubernationem Eius tam Spiritualium quam temporalium, tum quoad Reformationem et Ordinationem toties, quoties ea opus fuerit, Nobis solis et Rndsmo pro tempore existenti Loci Ordinario per omnia reservamus. Visitatione vero Personarum Adm Rndi Praefecti et Sociorum Eius Generali Visitatori Congregationis Missionis, libera semper manente.

6. Provisores eiusdem Seminarii erunt duo ex DD. Capitularibus, quorum unus a Nobis, alter a Vnblis Capitulo Generali, nunc et pro semper eligentur et designabuntur; quorum authoritatis erit dicto Seminario quoad bonum ordinem et regimen utriusque, aut in absentia alterius a Cathedra, uni in loco Nostro superintendere, in repetendis censibus et proventibus Adm Rndo Praefecto consilio et auxilio adesse, alumnos sibi praesentatos ex iudicio eiusdem Praefecti suscipere, ad Provisiones seu titulos Canonicos ad sacros Ordines promovere: Discolorum vero, scandalosorum et incorrigibilium dimissio conscientiae Praefecti relinquitur, prae monito de tali dimissione vel utroque, vel alterutro, in absentia unius, Provisore, ne secus cogatur in Seminario nutrire zizania, apta bonum triticum, non sine detrimento tam Seminarii quam Dioecesis, suffocare. Quoties

autem opus fuerit, Nos et pro tempore existentes Locci-Ordinarios, super Visitatione per Nos facienda informare satagent. Perillustres vero et Rndmi Dni Provisores nullatenus, et sub nullo praetextu, vel in participationem proventuum, vel in immediatam administrationem eorundem sese ingerent.

7. Quoniam praesenti Ordinatione Nostra bona Seminarii, alias universi eius proventum et redditus, regentiae et dispositioni Adm Rndi Praefecti totaliter committuntur, proinde adhaerendo per omnia dispositioni Originali Karnkovaniae, debebit Adm Rndus Praefectus modernus et pro tempore existens, de redditibus omnibus, perceptis et expensis, nec non de remanentiis (si continuo completum duodecim Alumnorum non habuerit), in rem eiusdem Seminarii autoritate et consensu Nostro convertendis annuatim, scilicet quovis Capitulo Generali SS. Trium Regum, calculum Nobis et Successoribus nostris reddere.

8. Ut hocce Seminarium rite et legitime procedat, Residentiam ipsius, quantocius potest, restaurandam in Nos ipsos assumimus quoad cubicula, Oratorium privatum et alias tam Rndi Praefecti et sociorum eius, quam etiam Clericorum commoditates necessarias. In posterum vero conservationem sartorum tectorum ad proventus Seminarii ordinarios restringimus ac relegamus.

9. Quandoquidem supradicti Sacerdotes Missionarii hactenus nulla requisita quoad celebrationem Missarum habent, permittitur ipsis in Sacristia Praelatorum usus, appamenta Ecclesiastica, quoad celebrationem Missarum sumendi, cum debita humanitate et civilitate per Rndum Sacristianum ipsis praestanda. In villa autem Witow, Ecclesiam et Beneficium cum omnibus proventibus et decimis iisdem R Rndis Missionariis, cum obligatione fovendi Vicarium, propter maiores eorum commoditatem, perpetuis temporibus cedimus, damus, et incorporamus.

Et talis, ut supra descriptum est, auctio, incorporatio, Ordinatio et dispositio Seminarii, una cum conditionibus appositis, uti Originali erectioni Karnkovaniae conformis, et ad utilitatem totius Dioecesis ac Eccle-

siae Nostrae Cathedralis Vladislaviensis decus ac ornementum, auctoritate Nostra Ordinaria, qua hac in parte fungimur, facta, ut maiorem vim, robur et perpetuam firmitatem habeat, praesentes literas manu Nostra subscriptas, sigillo Nostro et Venerabilis Capituli fecimus communiri. Actum et datum Vladislaviae die trigesima prima Decembris, anno Domini Millesimo septingentesimo decimo nono.

( L. S.  
Episcopi )

*Constantinus Szaniawski*

Episcopus Cuiaviensis et Pomer.

( L. S.  
Capituli )

*Alexander Mostowski*

Praepositus Cath. Vlad. Gnesn.  
Can. Praesidens Capituli mp.

Joannes Ant. Fabri Praepositus ecclesiae Sanctae Crucis et domus Congregationis Missionis Varsavien-sis, Visitator Provinciae Polonae et Lithuaniae eiusdem Congregationis.

(Ex originali. Apographum in archivo Capit. Wl. Lib. 49 fol. 1).

---

3.

## ERECTIO

COLLEGII SOCIETATIS JESU IN SZOTLAND

ad Gedanum, 1592 an.<sup>1)</sup>.

---

Sigismundus III, Dei gratia rex Poloniae, Magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Regni Sueciae proximus haeres et futurus rex. Significamus praesentibus litteris nostris quorum interest, universis et singulis. Exhibitam Nobis litteras Reverendi in Christo Patris Hieronymi

<sup>1)</sup> Documentum hoc, et alterum quod sequitur, directe quidem non pertinent ad historiam Sem. Wl.; certe tamen sunt monumenta paternae curiae Episcoporum, de Clero dioecesano rekte educando, et hac ratione fini operis nostri non aliena.

comitis a Rozdrażew Episcopi Wladislaviensis et Pomeraniae, manu propria subscriptas, et sigillis binis, altero eiusdem Episcopi, altero Capituli Wladislaviensis obsignatas, quibus fundatio Collegii Venerabilium Patrum Societatis Jesu in suburbio civitatis Gedanensis, Schotland dicto, continebatur. Quas ut Nos auctoritate Nostra regia approbare et confirmare dignaremur, fuit Nobis supplicatum. Earum vero tenor de verbo ad verbum inferius hoc modo insertus habetur.

Hieronymus comes a Rozdrażew in Ponsdorf Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae.

Ad perpetuam rei memoriam. Ab illa fere die, qua Nos Divina Providentia ex gratia et misericordia sua, licet insufficientibus meritis, ad gravissimum hoc pastorale munus, et in partem sollicitudinis cooperatoremque vineae suae vocare et assumere dignata est, omnes conatus, consilia, cogitationes denique Nostras in Dominici gregis fidei Nostrae concredi, custodia atque excubii defiximus, animasque pretio sanguinis Salvatoris Nostri Jesu Christi redemptas, ac Nobis commissas, in viam salutis tanto diligentius dirigere studuimus, quanto magis dioecesim Nostram omni genere haeresum prae caeteris aliis Regni huius dioecesisibus infectam, ac maioribus in dies procellis obnoxiam esse videmus. Non solum enim ex Germania, eidem contigua, verum etiam ex remotioribus regnis et provinciis, Anglia, Scotia, Suetia, Dania, et aliis, in quibus nullus iam catholicae orthodoxae romanae fidei et Ecclesiae episcopus et sacerdos, rarissimus vero et quidem occultus catholicus reperitur, magnus concursus et frequentia earundem nationum ad nobilissimum in eadem dioecesi Nostra constitutum Gedanense emporium, passim confluere, et prava dogmata in alias quoque dioecesis Nostrae partes spargere et diffundere solet. Licet vero pro iniuncti Nobis muneris officio sedulo hac in parte laboraverimus, nullisque curis, vigiliis ac sumptibus parcentes ovilique Nostro hac temporum iniquitate, in hisce insultibus haeticorum praesto adesse volentes, non modo saepius in persona Nostra illam dioecesis partem

visitaverimus, verum etiam pios atque doctos sacerdotes ad manus semper habuerimus, illorumque opera, tam in frangendo parvulis esurientibus pane, quam administrandis sacramentis, et praestandis aliis christianae pietatis et charitatis officiis, pro locorum et temporum opportunitate, usi fuerimus, atque tandem in ipsam quoque praecipuam dioecesis Nostrae civitatem Gedanensem, veluti haeresum circumiacentium regnorum sentinam quandam, et ex qua tanquam rivuli ex fonte in dioecesim Nostram profluunt et scaturiunt, aliquos clericorum Societatis Jesu presbyteros, non sine evidenti fructu et utilitate, cum spe etiam Collegii successu temporis ibidem fundandi atque erigendi induxerimus, et quo sensim conatibus Nostris aliquando tandem ad effectum deducendis via sterneretur, apud Senatum Gedanensem de restituenda Nobis aliqua ex occupatis et profanatis ecclesiis diligenter egerimus, neque quidquam eorum praetermisericimus, quae aliqua ratione ad contestandam Nostram erga commissum Nobis gregem fidem atque vigilantiam pertinerent: quia tamen non eos ex istiusmodi laboribus et sollicitudine Nostra retulismus fructus, qui maxime Nobis optandi essent, atque vulneri illi parti ovinis Nostri illato, sufficerent, Magistratusque civitatis novas religiones amplexus, avitam christianorum pietatem fastidiret, et difficilem sese in restitutione ecclesiae praebaret, atque propterea haec, de quas solliciti fuimus, Collegii erectio necessaria, diutius adhuc differri debuisse, ad alia tandem consilia descendere, et ne in proposita via et charitatis ferventiori zelo deficere, atque ab incepto cursu desistere videremur, de alio commodo loco, in quo excubias concreti Nobis gregis agere possimus, consilia instituere necesse habuimus. Contestato igitur hac ratione Nostro erga illam civitatem Gedanensem animo, praestitique officii conscientia solati, et nihilominus de Divina bonitate confisi, eandem suo loco et tempore pastorali Nostrae erga illam civitatem tot argumentis declaratae sollicitudini, pro sua misericordia non defuturam, animum, tandem et cogitationem Nostram convertimus ad suburbium dictae civitatis Gedanensis Schotland dictum, No-

strum et ecclesiae Nostrae Wladislaviensis proprium, et Nobis non modo in spiritualibus sed etiam temporaliibus subiectum, donec invisibilis Pastor ad prius institutum Nostrum urgendum et promovendum aliquam viam Nobis aperuerit, locumque aliquem commodiorem, ad laudem et gloriam Nominis sui sancti propagacionemque fidei catholicae et salutem animarum sanguine suo redemptarum, in praedicta civitate Gedanensi sibi elegerit et designaverit. Ac proinde considerantes, et diligenter oculis nostris subiicientes, praestantem illam atque nobilissimam operam, quam per universa reipublicae christiana regna, ac etiam paganorum regiones, Societas clericorum Nominis Jesu prefata praestare, uberrimosque illos manipulos, quos quotidie in gremium sanctae matris Ecclesiae catholicae conferre solet, invocato Dei nomine atque intemeratae Virginis Mariae matris, tutellaris huius dioecesis Nostrae Patronae caeterorumque regni et dioecesis Nostrae Patronorum, Adalberti, Stanislai, Floriani, Wenceslai, Tyrsi, Dalmatii, Vitalis, Hedwigis, Benignae, Brigitiae, et aliorum sanctorum implorata intercessione, Collegium eiusdem Societatis, in praedicta possessione ecclesiae Nostrae Szotlandia, erigendum et fundandum existimavimus, prout erigimus et fundamus, sub beneficio tamen et sub approbatione Sanctae Sedis Apostolicae, in Dei nomine per praesentes incorporantes et perpetuo adscribentes eidem Societati Gedanensi monasterium in oppido Nowe, eiusdem dioecesis Nostrae existens, a multis annis desolatum suisque possessoribus destitutum, et ad iurisdictionem Nostram devolutum, una cum omnibus aedificiis, structuris, domibus, pratis, hortis locisque desertis, ac aliis omnibus et singulis proventibus, ad illud monasterium quomodolibet ex antiquo spectantibus, tam intra quam extra oppidum consistentibus, perpetuo et in aevum. Quoniam vero proventus et redditus dicti monasterii adeo tenues et exigui sint, ut a Religiosis propterea derelictum fuerit, ideo Nos, volentes praedicto Collegio clericorum Societatis Jesu personarumque illud inhabitandarum de meliori et commodiori provisione prospicere, eidem Col-

legio, cum consensu et ratihabitione Venerabilium Fratrum Nostrorum Praelatorum et Canonicorum totiusque Capituli cathedralis ecclesiae Wladislaviensis, certam mensae Nostrae episcopalnis villam Gemlice dictam, in capitaneatu Nostro Sobkoviensi sitam, cum omnibus agris, pratis, campis, rubetis, hortis, pascuis, areis, censibus, laboribus, piscinis et aliis universis et singulis fructibus, proventibus, redditibus, emolumentis, ad praedictam villam ex antiquo pertinentibus, totoque iure et dominio, quod Nobis in dicta villa hucusque competitbat, nihil prorsus Nobis et successoribus Nostris reservantes, dandam, concedendam, conferendam, incorporandam, et adscribendam duximus: prout per praesentes damus, conferimus, concedimus, incorporamus et inscribimus perpetuo et in aeum. Adiungimus etiam pro meliori eiusdem Collegii Gedanensis commoditate et sustentatione, aliam villam monasterii Beatae Mariae Virginis Paradisi Carthusianorum dioecesis Nostrae in Prussia, vulgo Wielkie Bielkowo dictam, prope Radivin in territorio Gedanensi constitutam, quam Nobis Patres Religiosi dicti monasterii gratitudinis ergo pro hac opera, qua monasterium illud singulari Dei beneficio de manibus abbatum monasterii Olivensis, iure mediante, non sine maximis sumptibus Nostris vindicavimus, pristino statui restituimus, Ordinemque praedictum, dudum expulsum atque explosum, iterum ex remotis regionibus revocavimus, et in illud postliminio quasi introduximus, alacriter obtulerunt, et pro dicto Collegio Societatis Gedani fundando et erigendo, dederunt, concesserunt, transtulerunt et transfuderunt. Quam villam Nos cum omnibus et singulis eiusdem villae iuribus, proventibus, redditibus, emolumentis, agris, pratis, silvis, lacibus, piscinis, et universis aliis utilitatibus, ad praedictam villam spectantibus et pertinentibus, totoque dominio et iurisdictione, eidem Collegio concedimus, conferimus, incorporamus, et inscribimus perpetuo et in aeum. Ut autem hoc pastoralis sollicitudinis Nostrae studium, ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis, dioecesisque Nostrae maiorem utilitatem cedat, ordinamus, ut praedictum Collegium Societatis Jesu Gedani, sic

ut praemittitur per Nos fundatum, et dotatum, ad minus personae triginta quinque vel quadraginta inhabitent, et continuo ibidem resideant. Quod cum tam subito, propter habitationum defectum, expensasque in aedificia construenda, necessario faciendas, commode fieri nequeat, Patrum Societatis Jesu arbitrio et pietati id totum committimus, ut tot personas in dicto Collegio ad praesens habeant et foveant, quot aedificiorum construendorum onerumque infrascriptorum ratione habita, commode ex proventibus et fructibus suprascriptorum Bonorum Collegio per Nos adscriptorum et incorporatorum sustentari poterint. Postquam vero hoc Collegium bene constitutum et in aedificiis suis auctum fuerit, extunc numerus suprascriptus adimpleatur et integer foveatur. Qui quidem Patres Societatis Jesu Gedani, concionibus germanicis, polonicis et in aliarum linguarum, pro arbitrio suo, et animarum lucrandarum tempore et occasione, nunc in ecclesia Sanctae Brigittae monialium, nunc in sacello a Nobis in Schotlandia Nostra de novo extruendo et aedificando, et nonnunquam in aliis locis, prout illis commodius visum fuerit, tempusque et occasio tuluerit ibidem vacare, confessiones audire, ac divina officia aliaque solita, salutem animarum propagationemque fidei sanctae catholicae concernentia munia persolvere, studiaque et artes liberales, secundum institutum suum normamque et tenorem illius profiteri et in dioecesi Nostra Wladislaviensi et Pomeraniae operam suam praestare tenebuntur et erunt adstricti. Quibus, tam pro dicto sacello extruendo, quam erigendis domus aedificiis et horto, maioris eorum commoditatis causa faciendo, damus et resignamus aream Ufembreberk dictam, in praefata Schotlandia sitam. Si quoque successu temporis, nacta occasione, **Seminarium** dioecesis Nostræ, quod nunc Posnaniae habemus, ad praedictum Collegium Gedanense, adhibito Superiorum dictae Societatis consilio, transferendum, illudque ibidem instituendum esse duxerimus, eandem curam quam Patres Societatis Collegii Posnaniensis in dirigendo et promovendo illo nunc habent, ipsi quoque Gedanensis Collegii Patres habere debent. Si vero aequivalentem aut etiam melioris conditio-

nis provisionem aliqua occasione pro eodem Collegio Gedanensi nacti fuerimus, locoque huius praesentis dare voluerimus, seu successores Nostri nacti fuerint et dare voluerint, Societas in restituenda villa Gemlice mensae episcopali Nostrae, a qua est avulsa, nova vero huiusmodi accipienda provisione non difficilem sese exhibebit. Insuper, si aliquando (quod Deus avertat) Collegium hoc Gedanense, sicut praemissum est, iam erectum atque fundatum, seu etiam in alium locum magis commodum translatum, deficere ex aliqua causa contigerit, praedictaque Societas illud dereliquerit vel ad effectum et finem debitum aliquo casu perduci non possit, extunc villa Gemlice praefata, ac quaecunque alia provisio, per Nos ad usum eiusdem Collegii concessa et assignata, pleno iure ad Nos et mensam Nostram episcopalem, adeoque successores Nostros redire debebit.—Quae omnia et singula praemissa, universis et singulis quorum interest, intererit, aut quomodolibet in futurum interesse poterit, et ad quos spectat et pertinet, spectareque et pertinere dignoscitur praesens negotium, significamus et ad notitiam deducimus, harum, quibus manus Nostrae propriae subscriptio et sigilli appensio accessit testimonio, litterarum. Actum et datum Wladislaviae die octava Januarii, in Generali Capitulo pro Epiphania Domini celebrato, Anno Domini mille-simo quingentesimo nonagesimo secundo. Praesentibus Reverendis ac Venerabilibus Dominis Andrea Czacki decano et cantore posnaniensi, Luca ab Uniejów sacrae theologiae doctore archidiacono, Mathia Kiełpiński cantore et custode crusviciensi, Francisco Łącki archidiacono Pomeraniae, Nicolao Koso praeposito warmiensi, Mathia Karski Vicario in spiritualibus et officiali generali, decano crusviciensi, Marco Wysocki, Abrahamo Krosnowski, Paulo Cichrowski, Thoma Zakrzewski medicinae doctore, Erasmo Kretkowski archidiacono guesnensi, Stanislao Zakrzewski, Gabriele Wysocki, Joanne Sikorski iuris utriusque doctore, decano wolboriensi, archidiacono sandomiriensi, gnesnensi, lanciciensi, cancellario Nostro, Georgio Sułkowski, Joanne Begiel iurisprudentiae doctore, custode

S. Michælis cracoviensi: praelatis et canonicis ecclesiae  
Nostræ cathedralis wladislaviensis. Hieronymus Episcopus Wladislaviensis.

Transivit per manus Reverendi Andreæ Czacki  
decani wladislaviensis Capituli Praesidis.

Nos itaque Sigismundus Rex praenominatus, supplicationi illi Nobis factae, benigne annuentes, praemissas litteras in omnibus earum clausulis, conditionibus, tenoribus et continentiis universis, si tamen legibus Regni non sint contrariae, approbandum, confirmandum et ratificandum esse duximus. Ut quidem auctoritate Nostra Regia approbamus, confirmamus et ratificamus hisce litteris nostris, easque in omnibus earum contentis, robur iustum et debitum obtinere semper volumus. In cuius rei fidem praesentes manu Nostra subscriptimus, et sigillo Regio consignari iussimus. Datum Cracoviae die quindecima mensis Aprilis, Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Regni vero nostri quinto.— *Sigismundus Rex.*

(Documentum hoc descripsimus ex Lib. 14 fol. 24—31 archivi Capit. Wlad. — reperitur etiam in Lib. 135 fol. 125; ibidem fol. 314 est instrumentum donationis villæ Gemlice Collegio Szotadiensi Soc. Jesu).

---

4.

## FUNDATIO

### PRO STUDIOSIS PHILOSOPHICO v. THEOLOGICO.

Christophorus Antonius a Słupów Szembek Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae.


Universis et singulis quorum interest, aut quomodo libet interesse poterit, significamus: Quia Nos, attento misero statu infirmorum pauperum in Szotlandia, aliisque adiacentibus eidem vicis, qui ob carentiam sufficientis hospitalis, praecipue foeminarum, in plateis decumbere, et propter frigoris aestusque sub nudo coelo supportationem, extremam diem claudere coguntur, tum etiam infantium, ob delicta parentum occultanda, publico vitae periculo in vicos et plateas expostorum, tristes casus considerantes: eisdem pauperibus, tum infirmis, opportuno medio succurrendum esse duximus. Cum itaque medietatem aductorum per Nos proveniunt in Szotlandia, ad mensam Nostram episcopalem spectantium, quos Nobis intuitu facultatis traxandae cerevisiae et mensurarum frumentorum, mediante anno contractu arendario, communitas Szolandensis exsolvere tenetur, ad pias causas, praevio consensu et ratificatione Perillustrium Reverendissimorum Praelatorum, Canonicorum totiusque Venerabilis Capituli ecclesiae Nostrae cathedralis wladislaviensis, anno Dni 1730 disposuerimus: nuper vero magis idoneum et utile iudicavimus, si ex praefatis proventibus octingentos floreros pro sex convictoribus Philosophiae seu Theologiae studiosis ad statum spiritualem aspirantibus, dispositos pro hospitali pauperum infirmorum et expositorum infantium, disponamus et ordinemus; prout quidem, cum consilio Perillustrium et Rever. Praelatorum et Canonicorum cathedralae Nostrae Wladislaviensis Fratrum Nostrorum charissimorum, praefatos octingentos

florenos, cum aliis centum florenis, in primitiva ordinatione Nostra expressis et pro hospitali pauperum infirmorum et expositorum infantium, cuius iam initia damus, applicamus, disponimus et ordinamus, primitiva Nostra ordinatione quoad reliquas dispositiones et applicationes salva in toto conservata. In quorum fidem praesentes litteras manu Nostra subscriptas, sigillo Nostro communiri iussimus. Datum Wladislaviae die 21 mensis Junii A. D. 1739.

(L. S.) *Christophorus Antonius Szembek*  
Episcopus Wladislavien. et Pomeraniae.

*Alexander Mostowski*  
Praepositus Cathedralis Wladisl. Praesidens Capituli mpp. (L. S.).

(Haec Ordinatio, una cum aliis eiusdem Episcopi piis legatis, approbata a Summo Pontifice Benedicto XIV, Romae die 3 Martii 1742 a., reperitur in Actis Capituli Wlad. lib. 235 fol. 673).



II.

STATUTA

SEU

REGULAE SEMINARII

WLA DISLAVIENSIS.



Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. *Joan. VIII. 51.*

Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. *Ad Rom. II, 13.*

Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia. *Ad Gal. VI, 16.*

Qui regulae vivit, Deo vivit. *S. Gregor. Nyss.*

---

Serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *Luc. I. 74—75.*

Det vobis DEUS cor unum, ut colatis Eum et faciatis voluntatem Eius corde magno et animo volenti. *II Mach. I, 3.*



1.

PATRONI SEMINARIU WLADESLAVIENSIS

S. STANISLAI KOSTKA C.

R E G U L A E.

---

1. Non sum natus praesentibus, sed futuris.
2. Melius est parva facere cum obedientia, quam per propriam voluntatem magna praestare.
3. Mater Dei Maria — mea Mater est.

\*       \*

Peculiares virtutes S. Stanislai a nobis imitandae:  
devotio erga SS. Sacramentum  
et B. Mariam Virginem.



## ORATIONES AD S. STANISLAUM C.

---

Deus, qui inter caetera sapientiae tuae miracula etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam contulisti: da, quæsumus, ut beati Stanisla i exemplo, tempus instanter operando redimentes, in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Christum Dominum nostrum.

O angelicae puritatis exemplar, beatissime Stanislaë, qui aegrotans ad sacram Synaxin ardenter desiderans, ope divae Barbarae, ea per angelorum manus mirabiliter refectus es, ac daemonem terrifici canis specie te impetentem signo sanctae crucis alegisti, moriensque ob innocentem vitae puritatem meruisti Mariam Virginem praesentem habere; intercede pro me apud Deum, ut ego quoque non sine Sanctissimi Sacramenti digna sumptione ex hac vita decedam. Defende me contra omnes diabolicos insultus, ut ab his in morte liber, secure coelestem patriam petam. Instilla mihi filialem erga immaculatam Virginem, quam matrem tuam vocare solebas, amoris affectum et puritatis amorem, ut quidquid ei adversatur, horream. Impetra denique, ut potius moriar, quam animam meam lethali aliquo peccato contaminem. A.



**CONSTITUTIONES CLERICATUS**  
**ECCLESIASTICI**  
**AD ECCLESIAM CATHEDRALEM WLADESLAVIENSEM ERECTI.**

---

Anno Domini 1631 die 29 mensis Junii, Illustris et Admodum Reverendus Dominus Christophorus Charnicki, Praepositus et Officialis Generalis Wladislavensis seminarium ingressus, cum Reverendo Domino Stanislaw Orłowski, Canonico Wladislaviensi et Provisore seminarii, sollicite pro officio suo, intendere cupiens ad ea, quae ad disciplinam ecclesiasticam conservandam et mores cleri reformatos spectant et pertinent, praecipue vero ad institutionem clericorum in alumnatu Wladislaviensi degentium, statuta et leges, iuxta quorum praescriptum et formam clerici vivere debeat, perlegi audientibus tunc clericis mandavit et ab eis iuramentum corporale in forma solita recepit.

**De Reditibus Seminarii.**

Imprimis Illustr. ac Rever. D. Episcopus Wladislaviensis pro tempore existens, pro salario Moderatoris Clericorum fl. ..., pro victu et amictu Clericorum fl. .... Admodum Reverendi Domini Abbates annuatim contribuent: Coronoviensis fl. 200, Pelplinensis fl. 300, Olivensis fl. 300. Reverendus Dominus Praepositus (*Strzelensis*) fl. 100.

**De Curatoribus Clericatus.**

Curatores Clericatus erunt duo Praelati vel Canonicci de gremio Capituli Ecclesiae Cathedralis, Wladi-

slaviae continuo residentes, ab Illmo ac Rndmo Dno Episcopo, una cum Venerabili Capitulo eligendi, et arbitratu eorum amovendi et mutandi, qui summae rerum in clericatu praeerunt et imprimis providebunt, ut semper praedicti clericci moderatorem, virum in aetate maturum, in moribus gravem, in vita pium et exemplarem, doctrinaeque sufficientis, habeant. Sine eorum vel alterius notitia et auctoritate nou recipi quisquam in clericatum nec inde anoveri poterit. Idem ambo clericatum quolibet semestri bis ad minus visitabunt, ac cum defectibus eius, tum de studiis et moribus singulorum alumnorum diligenter inquirent, corrigendaque de consilio moderatoris corrident; nihil tamen maioris et praetudicinalis inconsulto. Illmo ac Rev. Dno Episcopo ac Ven. Capitulo facient. Reditus Seminarii suis temporibus ab Illmo ac Rev. Dno Episcopo, ab Abbatibus et aliis conferendis exigent et in usus clericorum per suum dispensatorem (quem pro arbitratu ad hoc munus obendum elegerint) convertent, cum quo etiam singulis septimanis vel quolibet mense rationes expensarum computabunt. Ipsi vero infra Capitulum generale pro festo Trium Regum Ven. Capitulo in praesentia Illmi ac Rev. Dni Episcopi delegati, annuas rationes expensarum facere tenebuntur.

#### De Moderatoribus Clericorum.

Provisores clericatus cum consilio Illmi ac Rev. Dni Episcopi, tum Ven. Capituli, personam qualificatam in theologia vel iurisprudentia hisce scholaribus praeficere studebunt, qui quidem quoad studia disciplinamque iis praeerit et lectiones pro captu ipsorum ex praescripto provisorum praelegat, cum illis cohabitet, cibum capiat, curamque dies ac noctes habeat disciplinæ in moribus, pietate et studiis; minora eorum delicta coercent, maiora provisoribus deferat ab ipsorum animadversione punienda. Eius quoque muneris erit (si id commode provisoribus videbitur), exterior clericatus administratio, videlicet domicilii, habitaculorum, lectorum, supellectilis domesticae, vestium, librorum et aliarum.

rum quarumcumque rerum, praesertim quae ad victum quotidianum pertinent, pro alumnis in clericatu comparandarum et conservandarum cura, nihil huius rei maioris inconsultis provisoribus faciet, a quibus etiam pecuniam in hos sumptus accipiet, deque percepta et exposita singulis septimanis calculum facere iisdem tenebitur. Habetis etiam repungendae claudendaque et aperienda domus curam ad praescriptum provisorum. Huic etiam coquus parebit, cum provisoribus ab ipso conducendus, vel si consultius videbitur, coqua honesta et provectae aetatis foemina, quae et vestes alumno- rum abluat. Quoniam vero hisce temporibus, propter frequentiam Collegiorum Societatis Jesu, numerus scholarium in gymasio ordinario ecclesiae cathedralis minor, quam praeteritis temporibus reperiatur, ac proinde magister scholae cum suo baccalaureo non tantum laborem et occupationem in instituendis scholaribus uti prius habeant: tenebitur idem magister in clericatu alumnis singulis diebus feriatis duas lectiones in humanioribus, iuxta ordinationem provisorum legere. Cantor quoque (cum iam nullos alias adolescentes praeter alumnos ad instituendum in musica habebit) sabbato po- meridiano tempore praecepta musices ipse tradet et in cantu chorali exercebit.

De numero et qualitate recipiendorum et modo  
recipiendi in Clericatum.

Hoc primo initio Scholares in clericatum recipien-  
tur, quos vel Ill. ac Rev. Dnus Episcopus vel Ven. Ca-  
pitulum eliget et provisoribus praesentabuntur et com-  
mendabuntur ab eis, si erant idonei, suscipiendos. Si  
vero sint dioecesani, aut si idonei non reperientur, ex  
vicina dioecesi orti, alioquin undecunque existant, ad  
praescriptum sanctae synodi Tridentinae, qualificati sint  
autem, pauperum filii et ipsi pauperes, qui habeant pro-  
positum in catholica fide permanendi, militiae clericali  
sese addiscendi ac perpetuo ecclesiae et dioecesi Wla-  
dislaviensi inserviendi. Quoniam autem hoc tempore sa-

cerdotum penuria accelerationem sacrorum Ordinum maxime requirit, ne recipientur, nisi qui minimum sedecim annos nati sint, nec maiores tamen viginti quatuor annis, et non solum legere et scribere competenter noverint, sed etiam rudimenta grammaticae utcumque callent, doctiorum tamen et eorum in quibus egregia indoles elucebit, ac de quibus maior spes venturae utilitatis ecclesiasticae fulgebit, ratio habeatur in receptione, etiamsi minores sint, dummodo duodecim annis minores non sint. Habeatur metricula, in qua describantur singulorum nomina, parentes, patria, aetas, gradus, ordo, dies, mensis et annus receptionis, quae metricula servetur sub simili custodia provisorum clericatus. Priusquam recipiatur quispiam examinari debebit a provisoribus et praefecto clericatus, an sit idoneus secundum praescriptum s. concilii Trid., an vero impedimentum aliquod habeat ad sacros Ordines suscipiendos.

Recipiendi facient primum professionem fidei catholicae cum abiurazione haeresum pro tempore existentium et vigentium nominatim, secundum formulam prescribendam. Deinde iurabunt reverentiam et obedientiam Episcopo et Capitulo Wladislaviensi et provisoribus clericatus, et quod e clericatu excessuri non sint sine permisso Episcopi et Capituli ac provisorum et quod ecclesiae et dioecesi Wladislaviensi servire perpetuo velint ac teneantur in ministeriis ecclesiasticis ad quae promoti fuerint, nisi expensas in se factas refundant, in usus seminarii convertendas, aut per dispensationem Episcopi et Capituli respective in scriptis dimittantur et eo casu nihilominus poterunt ac debebunt adstringi ad munus aliquod, ad quod videbuntur idonei, in schola vel civitate vel alibi intra dioecesim hanc ad tempus obeundum. Atque huiusmodi iuramenta et promissiones quotannis certo tempore renovabunt, in memoriam sibi revocantes.

#### Forma iuramenti.

Ego N. iuro reverentiam et obedientiam Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Wladisla-

viensi feliciter moderno et eius successoribus Dominis Episcopis et Venerabili Capitulo, Provisoribus et Praefecto clericatus, et quod ex clericatu excessurus non sim sine permisso et licentia Reverendissimi Domini Episcopi, Venerabilis Capituli ac Provisorum Seminarii. Et quod in Dioecesi Wladislaviensi serviam in ministeriis ecclesiasticis, ad quae promotus fuero, nisi ex certis ac legitimis causis me dispensaverint aut aliter disposuerint, praesertim si velim expensas in me factas refundere, in usus clericatus convertendas, Rev. Dnus Episcopus, Capitulum et Provisores pro tempore existentes, absque quorum arbitrio et voluntate me neque condonationem, neque dioecesim mutaturum promitto, dummodo provisio tolerabilis et idonea ab iisdem mihi obligata fuerit. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Quoties aliquis scholarium e clericatu quacunque ratione excesserit vel motus fuerit, danda est opera, ut primo quoque tempore a Ven. Capitulo et Provisoribus aliis in vacantem locum sufficiatur.

#### De vita et institutis studiis alumnorum Seminarii.

Recepti in seminarium, omnes in una domo habitabunt, omnes statim utentur tonsura et vestibus clericalibus unicoloribus, quas provisores ipsi comparabunt, simul etiam cibum capient in duas vel tres mensas arbitrio praefecti distributi. Benedictio mensae praecedet et refectionem sequetur gratiarum actio, comitabitur vero lectio, quae animae honestam recreationem adducat, non ingerat difficultatem. Bini autem, ut provisores et praefecto videbitur, in cubiculis habitabunt, singuli tamen in propriis lectis cubabunt. Curent primum omnes cordis, deinde etiam corporis, vestium, rerumque omnium, quibus utuntur, tum etiam cubiculi munditiem et concinnitatem. Ostia domus ianitor quotidie certis horis claudet et aperiet, ad prescriptum praefecti sive moderatoris.

Omnes hora consueta cubitum ibunt et mane surgent et ad lectionem ac ad Missam, ad cubicula, ad recreaciones et ad omnes alias functiones, quae illis pra-

scribentur, praesto erunt, ubi vel pulsu campanae vel alia admonitione illis significabitur.

Orabunt quotidie priusquam eant cubitum, quemadmodum a praefecto praescribetur. Qui maioribus Ordinibus non erunt initiati, quotidie attente ac devote horas B. V. Mariae, diebus autem Veneris ac Mercurii septem psalmos poenitentiales cum litanis recitabunt orabuntque pro ecclesia catholica et Władislaviensi eiusque praesule ac Serenissimo Rege Poloniae et pro benefactoribus vivis et defunctis, pro aliis item, de quibus instituentur a Praefecto suo. Quotidie Missae sacrificio, quae vulgo vocatur Tobiaszka, intersint attente ac devote, sacrificantique ex ipsis aliquis inserviat, omnes vero sciant inservire sive ministrare. Saltem singulis mensibus confiteantur sacramentaliter peccata sua et iuxta confessarii iudicium sumant Corpus D. N. Jesu Christi. Insuper ut cantum et ritum ecclesiae cathedralis et profectius perdiscant, teneantur ecclesiae cathedrali inservire hoc modo: Diebus dominicis et festis celebribus sint obligati omnes processioni interesse, nec non primum nocturnum in matutinis precibus, summam Missam et Vesperas, Completorium una cum scholariibus scholae ordinariae; ferialibus vero diebus sollemmodo horam Sextam, summam Missam et Vesperas cum Completorio decantabunt. Reverantur et observent provisores seu moderatorem et praeceptrores suos et obedient illis in Domino. Mutuam inter se charitatem sincere retineant. Nullus verbo vel facto alteri iniuriam faciat, si quid vero secus acciderit, antequam cubitum eant, reconcilientur, indicta poenitentia ei, qui fecerit iniuriam. Nihil de rebus domesticis accipiant iniussu Praefecti seu moderatoris, si quid erit, quod videatur egere sive quod ad studia pertinet, sive quod ad vestes vel cubiculum, de iis deferant ad provisores vel Praefectum, qui curabunt esse provisum. Extra domicilium sine moderatoris licentia et sine socio ab eo assignato, nullus egrediatur, nec colloquentur cum externis absque eiusdem facultate, qui poterit etiam interdicere, ne inter se colloquantur domestici, si qui ex clericatu viderentur detrimentum aliquod inde passuri.

Postquam adolescentes in clericatum recepti mediocriter in sermone latino instructi fuerint, ubique latine loquantur tam domi, quam foris, praeterquam cum externis, cum quibus liberi erunt, quo voluerint idiomate loqui et cum superioribus dispensandum videbitur ut relaxandi animi causa vernaculo sermone loqui ipsis liceat. Doctrinam dominicam sive catechismum non solum discent, sed memoriae etiam commendabunt fideliter primo quoque tempore.

Ad ea studia se quisque conferet, ad quae idoneus per examen iudicabitur et omnes saltem grammaticam, cantum, computum ecclesiasticum et quod convenire videbitur ex sacra Scriptura et libris ecclesiasticis de casibus conscientiae et s. homiliis docebuntur. Ea praeterea singulari studio discent, quae ad Sacramentorum ministerium, maximeque ad confessiones audiendas videbuntur opportuna. Ritus vero ac caeremonias ecclesiasticas non discent solum, sed etiam ediscent memoriaeque mandabunt. Studiorum tempore sint collecti et intenti studiis in locis assignatis nec per domum divagentur. Nemo res suas a se alienet ulla ratione, inscio Praefecto, nec pecuniam apud se habeat, sed eam deponant apud Praefectum. Res communes seminarii praesertim libros, nemo sibi applicet aut alteri donet, neque in illis scribat, aut notas faciat. Erunt quotidie duae recreations: una statim hora a prandio, altera statim a coena, quibus horis inter se colloquentur domestici, quae honestam recreationem faciant.

Singulis vero hebdomadis integrum diem habebunt, ubi duo festa non intercedent, quo die intermissis studiis literariis, non tamen pietatis, agent otium eumque transigent vel deambulando vel canendo vel aliquo honesto lusu idque poterit in aliquo prato, semper modestiae et aedificationis habita ratione. Exercebuntur domi familiariter pro singulorum captu ad habendas exhortationes vel conciones, tum ad instituendos pueros ac personas rudes in doctrina christiana.

Ad maiores Ordines suo tempore quando Episcopo vel Provisoribus cum consilio Praefecti videbitur, promovebuntur. In omnibus vero Ordinibus quoad fieri po-

terit exercebuntur, et si qui idonei videbuntur, non privatim solum ut antea, sed publice et foris exerceri incipient in habendis piis exhortationibus, in sacris etiam concionibus et lectionibus, in exponendo etiam catechismo. Fient autem haec omnia iubentibus vel permittentibus provisoribus et praefecto, exhibita solita diligentia ac peculiari observatione. Diligenter omnis amore potius quam timore poenae observabit quae superiorius dicta sunt, si tamen quae humana fragilitas est, aliquis deliquerit, humili et grato animo admonitionem vel reprehensionem, et si digna res fuerit, iniunctam poenitentiam suscipere debet; ad quam iniungendam non minore charitate, quam ad indulgendum superiores adducentur. Moderatio vero horum omnium et novorum statutorum, si quae videbuntur esse necessaria, ordinatio erit penes Provisores et Praefectum clericatus.

#### De amotione e Clericatu.

Si quis ex alumnis seminarii, ob magnam ingenii imbecillitatem vel morum incorrigibiles defectus et studiorum labores non ferentem valetudinem corporis, inepti deprehendentur ad huius clericatus institutum, re tota sincere significata Provisoribus et per eos Episcopo vel Capitulo respective, ipsorum iudicio dimitte e clericatu et alii utiliores ecclesiae futuri eis substitui debebunt. Si qui ad mediocrem et ad quaedam munia ecclesiastica sufficientem eruditionem pervenerint, videbunt iidem Provisores cum Praefecto clericatus, quando educendi e seminario et cui ministerio, quive in loco applicandi sint, et cum Episcopo et Capitulo communicabunt. Si quando usu venerit, ut vicariis vel aliis ministris opus sit apud ecclesiam cathedralem, poterunt Provisores, qui ad id munus idonei visi fuerint, cum consensu Episcopi et Capituli adsciscere eos. Porro si qui e seminario excesserint vel excedere voluerint vel sacris initiari ecclesiasticaque ministeria suscipere noluerint, vel iis idonei non fuerint, poterunt a Provisoribus, voluntate Episcopi et Capituli accedente, scholis praefici, vel civilibus sive aliis honestis mi-

nisteriis, ad quae apti esse videbuntur, ad tempus accommodari, idque in dioecesi Wladislavieusi et Pomeraniae, aut si recusabunt, expensas in se factas secundum moderationem Provisorum restituent, quae in usus seminarii converti debebunt, nisi Episcopus et Capitulum cum eis iusta de causa dispensandum esse duxerit. Si quis vero fraude, dolo, vel aliqua falsitate circa probationes habilitatum usus fuerit aut alias qualitates, ut supra expressum est, non habere compertus fuerit, sit eo ipso omni iure et commodo seminarii privatus.

(*Lib. 64. fol. 66 sq.*).

3.

## EX DECRETO

REFORMATIONIS PRO VEN. CAPITOLIO ET UNIVERSO CLERO

ECCL. CATH. WLAD.

in Visitatione generali dato ab Epo *Mathia Lubieński*

die 16 Aprilis 1632 anno.

Cumuvero ss. Concilii Tridentini decretum *Sess. 23 cap. 18* c ram seminarii Ordinariis et Capitulis ecclesiastiarum cathedralium demandaverit et commiserit, decernendo ut provisores seminarii tam ab Ordinario quam a Capitulo de gremio eiusdem eligantur: proinde idem Concilii decretum ad debitam executionem deducentes, ipsius vigore mandamus, ut provisores a Nobis et Ven. Capitulo iuxta praeceptum eiusdem Concilii electi et eligendi, praeter aliam debitam administrationem, hunc etiam in studiis tractandis inter alumnos Seminarii observent modum: ut absoluta *Grammatica* (ad quam docendam magistrum scholae pro tempore existentem, certo censu, pro pecunia a Rmo antecessore Nostro eidem seminario retenta et ad manus Nostras tradita et per-

soluta, modo reemptionali emendo, invitabimur) diligenter *ars dialecticae, rhetoricae, catechisticae* et de officiis vitae *moralique Theologia*, quae vulgo casus conscientiae vocitantur, lectura obeatur et in praxim per decisiones casum in particulari scripto et disputationibus deducatur, ut alumni seminarii usui totius dioecesis esse queant. Quibus serio mandamus, quatenus debitam reverentiam et obedientiam suo Praefecto pro tempore existenti exhibeant, sub poena exclusionis et refusione impensarum pro ipsis factarum.

Porro D. Praefectus eius seminarii sedulo curet, ut iidem alumni *in pietate* quam maxime proficiant. Proinde frequentius quam alias pias exhortationes instituat, quibus iuventus haec quasi quibusdam calcaribus incitat, de virtute in virtutem procedens, ad supra divini cultus promovendi et saluti humanae inseruendi ascendat. Reliqua RRor. DD. Provisorum seminarii prudentiae et directioni relinquentur, qui singulis septimanis tam de ratione alumnorum in studiis profectu, quam de ratione expensarum pro victu inquirentes, seminarium visitabunt.

(*in Lib. 10, fol. 7 v. et 28 v. ac 49; item Lib. 73 fol. 38.*)

---

4.

## DISPOSITIO

EPISCOPI BONAVENTURAE MADALINSKI

PRO CLERO CATHEDR.

de die 3 Junii 1687.

---

Multum interest ad vitam sacerdotalem, si in seminario dioecesis ad piam et bonam vitam agendum debite instituantur, quod ut commodius praestetur, cavebunt Perillustres Domini, ne seminaristas praetextu cuiuscunque servitii, ex seminario ad sua servitia avo-

cent, taliterque a studiis et necessariis exercitiis distrahant, sed eosdem studiis vacare permittant.

(L. 10, fol. 34 v.).

5.

Krystek Antoni na Słupowie Szembek

z Bozey y Stolicy Apostolskieu Łaski

BISKUP KUJAWSKI Y POMORSKI.

Przy tak wielu innych koło Dyecezyi Naszej prach, to też niemniej gorące mamy staranie, aby w Seminarium Naszem Włocławskiem takie było w pobożności, naukach y we wszystkich cnotach ćwiczenie, za któreremby dyecezya Nasza pożyteczne mieć mogła subjekta.

Dla tego niniejszą czynimy Ordynacyą, która aby we wszystkiem zachowana była, pilney attencyi Jmci X. Officjała Naszego Włocławskiego jako prowizora, y Imci X. Prefekta pomienionego seminarium zalecamy.

A nayprzód, żeby na żadną instancyą nikomu z seminarzystów nie pozwolono brać się ad Ordines, ani dawać testimonium nie przebywszy w seminarium przynajmniej od wakacyi do wakacyi drugich. A jeżeliby była wielka tego potrzeba, to żeby był seminarzysta taki ex iudicio Adm Rudi Dni Praefecti optime fundatus nie tylko in scientia, ale też in virtutibus viro ecclesiastico necessariis.

2-do. Serio recommendamus alumnis seminarii, żeby się applikowali ad spiritum ecclesiasticum, a manowicie ad Meditationes, Lectionem Spiritualem, ad humilitatem, simplicitatem, mortificationem, sobrietatem, patientiam, contemptum mundi etc. etc.

3-io. Żeby non impune niektóre defekty były, osobliwie absentującym się od medytacyi, niech będzie kara vg. niech klęczy w szkole tempore lectionis scholasticae, albo w refektarzu przez obiad; a jeżeli czę-

ściej by się absentował, deferatur Loci Ordinario, co z nim czynić.

4-to. Si quae nota ebrietatis, albo prywatnych traktamentów advertetur w którym seminarzyście, żeby publicam poenam brał, vg. dyscypline w refektarzu w kapie, albo też przez tydzień aliqua portione privatetur.

5-to. Si superbus, contumax, inobediens et incorrigibilis reprehendatur, dimissione dignus iudicetur et tanquam ovis scabiosa ex seminario eiiciatur.

Żeby każdy ante inchoationem studiorum odprawił rekollekcye.

Datum die 13 Septembris anno 1722.

*Krysztof Antoni Szembek*

Biskup Kujawski y Pomorski

---

6.

CHRISTOPHORUS ANTONIUS

A SŁUPOW

**SZEMBEK**

Dei et Apostolicae Sedis gratia

EPISCOPUS WLADISLAVIENSIS ET POMERANIAE.

---

Multiplicato numero cleri in dioecesi nostra Cuiavensi et Pomeraniae, nec non in Seminario Wladislaviensi, utinam multiplicetur et laetitia cordis Nostri, ex eiusdem pietate et zelo in promovendo cultu Dei. At quoniam pervenit ad aures Nostras aliquos conversatione mala foetere fecisse odorem nominis boni; ideo Nos malo ulteriori occurrentes, obligamus omnes nostri Seminarii Wladislaviensis alumnos, quibus specialis cura est bona semina virtutum in terram cordis sui spargere, et commendamus serio sinceram et veram applicationem ad pietatem, spiritum Ecclesiae et scientias, quas ut fun-

damentaliter acquirere valeant, per biennium, ut moris est in aliis Seminariis, morabuntur. Citius autem nemo ordinabitur sine expressa a Nobis facultate, non obstantibus quibusvis intempestivis et importunis instantiis, excepta sola adulta in virtutibus et scientia eorum, quae infra praescribentur, perfectione, quae vera est et genuina ad omnes gradus et dignitates promotrix. Extra tempora non ordinabuntur, et interstitia servabunt. Recollectiones annuatim ante inchoationem studiorum et ante singulos maiores Ordines diligentissime absolvant. Ad Subdiaconatum nemo brevi post inchoatum Seminarium aspirabit, nisi post tres circiter partes anni, ut interim evacuet spiritum carnis et mundi, nec non nimium amorem ad consanguineos; dediscant interim frequentes ebrietates, divagationes, otium et tedium ad Divina exercitia, meditationes, ad obsequia ecclesiae cathedralis; praeterea levitates, insolentias, puerilitates, mendacia, maledictiones, rixas, oblocutiones, murmurationes. Ad reliquos maiores, praesertim ad Presbyteratum, exactam in publico examine reddant rationem de perfectione non ficta in spiritu ecclesiastico, de modestia, de humilitate, obedientia, patientia, ferventi accessu ad ss. Eucharistiam, de charitate mutua, sobrietate, de connotato catechismo, scientia Breviarii, Missalis, peritia in catechizando et concionando, de omnibus Tractatibus authoris cui student, de cantu et computo ecclesiastico, de omnibus libris s. Scripturae et intelligentia eius, praecipue evangeliorum et hymnorum Breviarii, nec non caeremoniarum sacerdotalium et episcopalia; et ideo ad hunc finem, scrutinium de moribus cuiuslibet ad Presbyteratum aspirantis specialiter instituetur. — Ut autem ad debitam honestatem externam Presbyteri novi assuescant, nullus ordinabitur nisi prius habeat et praesentet Examinatoribus novarum vestium saltem unum par, aliquot colaria nitida, pileum hyemalem nigi, non cerulei coloris; ad pietatem et doctrinam aliorum sacra Biblia, Concilium Trid., aliquem librum spiritualem et aliquot casuistas. — Et quoniam novi Presbyteri, extra Seminarium pravo aliquorum collegarum exemplo inducti, ad perversa quaeque fa-

cile relaxantur; ideo huic malo obstantes, statuimus: 1-o ut ante Presbyteratum vel approbationem ad confessiones, scripto aliquo coram Superiore ad eum finem destinato, neomystae se obfirment: a) Recollectiones per triennium quolibet anno fidelissime absolvere, ultra vero quilibet triennio, ad minimum per quinque dies. b) Domi exemplariter se gerere, abstinendo ab otiosis occupationibus, ab usu quotidiano cremati et tabaci, tum a frequenti aliorum liquorum haustu, a chartifoliis, a vegetatione, continua cum hominibus conversatione, praecipue in aulis nobilium, et domibus privatis; nullibi solus cum sola colloquetur, sub eodem tecto nullam foeminam conservando, nec sibi in cubiculis ab illis ministerium aliquod permittingo.—2. In ecclesia autem propria cultum Divinum promovendo, Missam devotissime absolventer, diebus festivis et dominicis conciones et catechismos propter nundinas nunquam omittenter, Sacra menta diligentissime sine turpi extorsione pecuniae ab iisdem Sacramentis, praecipue a sepultura, administrabunt. Quod si post egressum de Seminario facile de sua dissolutione, ebrietatibus, otio, contentionibus, illicitis amoribus, et his similibus, notati fuerint: 1) mortificationem et Recollectiones ordinarias, 2) in pane et aqua, 3) poenas in carceribus arcis nostrae Wladislavensis; privationemque et proscriptionem ex dioecesi subiungunt. Faxit Deus Ter Opt. Maximus, ut haec remotissime absint a vobis, cui Nos, licet indigni, speciali benedictione salutem impertimur.

Datum Wladislaviae die 28 mensis Aprilis Anno Domini 1726.

*Christophorus Antonius Szembek  
Episcopus Wlad. et Pomeraniae.*



7.

**COMPENDIUM  
REGULARUM SEMINARII**

A CONVENTU GENERALI PRESBYTERORUM

**CONGREGATIONIS MISSIONIS**

a. 1673, datum <sup>1)</sup>).

1-mo. Seminarium est academia quaedam, in qua se exercent Seminariastae in omibus functionibus suis, attendunt pietati et scientiae omnibusque digne Deo peragendis, virtutibusque ecclesiasticis comparandis. Ad hunc finem institutumque exercitia spiritualia et studia quotidiana diriguntur, in quibus omibus multum proficiet quisque bona voluntate, docilitate ac submissione munitus.

2-do. Si aliquid molesti in Seminario naturae perversae occurret, tolerandum est fortiter sine murmuratione, Regnum enim coelorum vim patitur; poterint nihilominus Adm R. D. Praefecto molestiam cordis sui aperire.

3-tio. Meditationi vacandum maxime mane, sed tempestive, benevole ad primum campanae pulsum, cui ut voci Dei obediendum, eique devote, sedulo et attente vacandum.

4-to. Quoties ibunt ad Ecclesiam, vel in ea tantisper morabuntur, recordentur se vocari Angelos Dei, quapropter eorum pietatem, modestiam, venerationem practicare satagent.

5-to. Si Seminaristae iam sacerdotes facti morentur in Seminario, recordentur nominis sui, et praeparationem ante, nec non Gratiarum actionem post sacrum,

---

<sup>1)</sup> Regulis sub 7 et 8 N-ro hic positis, utebantur omnia Seminaria sub directione PP. Missionariorum constituta.

quam devotissime absolvant. Qui vero necdum sacerdotes effecti, assistant sacro-sancto Missae sacrificio per seriam meditationem passionis Christi, siquidem Missa est eius memoria. Singulis vero diebus dominicis et festis solemnioribus ad sacram Synaxim accendent cum omni praeparatione.

6-to. Officium divinum angelico more et ore lente et devote cum meditationibus recitent, a quo nullus, sicut nec ab ullo simili exercitio simplici vel schola vel recreatione, sine expressa licentia superioris vel Praefecti aberit, sed maxime curabunt a mane usque ad vesperam omnia exercitia cum magna puritate intentionis placendi Deo, cum aedificatione proximi ac sui profectu peragere.

7-mo. Cum nemo sibi ipsi sufficiat, miseritque DEUS Paulum, etiamsi in lege doctum, ad Ananiam tanquam ad directorem suum, quisque, qui vult proficere de virtute in virtutem debet extra confessionem cum directore, quem eliget, de statu vitae suae conferre.

8-vo. Multi aliquando caeco impetu feruntur ad Ordines recipiendos, etiamsi virtutes scientiamque ad illos necessariam nondum habeant, moderandus est ille inordinatus appetitus, committendo hoc negotium R. Praefecto, quem etiam in omnibus negotiis arduis consulent.

9-no. In lectionibus, repetitionibus, caeremoniis, cantu, exhibeant se modestos, attentos, ac contentiones devitent.

10-mo. Attendent, ut nihil in ipsis appareat, quod adhuc mundi spiritu redoleat, praesertim in vestibus, capillis, quae omnia prout modestia et simplicitas ecclesiastica exigit, gestabunt.

11-mo. Nunquam exhibunt e cubiculo, nisi omnino vestiti, neque apparebunt foras sine cingulo vel cum pileo nocturno.

12-mo. Ministrabunt mensae in spiritu Christi, qui asserit se venisse, non ut ei ministraretur, sed ut ministraret, et tunc temporis sive ministrarent, sive manducent, omnia propter imitationem Christi faciant, lectioneque, quae tunc fit, tanquam pabulo simplici, animas suas cum reflexione ad se reficiant. Si vero quis

ad mensam legendo erret, sive in aliis occasionibus corrigatur, id benigne recipere sedulo curabit; sed satagent etiam, ut nullus eum arguat, cum hoc solum pertineat ad superiores; multo minus aliquando eum irrideat.

13-mo. Juxta effatum Spiritus S. est tempus loquendi, tempus tacendi, quapropter extra horas recreationis, conferentiarum, lectionum, servabitur stricte silentium, si vero quid accidet loqui ex necessitate, tunc breviter et voce demissa peragatur.

14-mo. Nullam pravam alii de aliis cogitationem in corde suo admittent, nihil faciendo aut dicendo, quod possit aliquem contristare, sed mutuo se amore et honore, ut fratres Christi complecentur.

15-mo. In aliorum cubicula alii non ingredientur, neque alii alios admittent ad suum sine necessitate et licentia.

16-mo. Amicitias particulares ut pestem fugient, sicut et detractiones, rixas, et levitates in conversatione.

17-mo. Raro domo egrientur, et semper cum licentia Adm R. D. Superioris, et ita quidem, ut cito redeant, seque praesentent ad redditum suum Adm R. D. Superiori, a quo licentiam acceperunt. Sed caveant aliquando manducare et bibere extra domum, imo nec in cubiculis suis aliquid cibi vel potus servare<sup>1)</sup>.

18-mo. Inordinatus erga parentes et consanguineos amor continuo coercendus, propter eum, qui totum cor ecclesiastico iure exigit.

19-mo. Vacent maxime humilitati, modestiae, mortificationi et verae pietati comparandae.

20-mo. Repraesentent saepius cur, vel ad quid venerint ad Seminarium?

---

<sup>1)</sup> Haec postrema lex respicit praesertim alumnos Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo, qui simul cum externis clericis studiis in Seminario vacabant.

## ORDO

### QUOTIDIANAE OCCUPATIONIS.

---

**M**ane. *Hora quinta* surgant omnes ad primum campanae sonum. *Media ad sextam* omnes in eodem loco congregati, meditationi vacabunt ad sextam. *Hora sexta* recitatunt in communi horas, et in fine quisque in cubiculum se recipiet, ut studiis vacet. *Hora septima* clerici audient sacrum, et sacerdotes hora sibi assignata celebrabunt. Post sacrum autem unusquisque in silentio repetet cubiculum suum, ut iterum studio vacet. *Hora nona* pulsatur campanula, ut omnes in locum lectioni destinatum cum silentio et modestia conveniant. *Media ad undecimam* quisque petet cubiculum suum, ibique vel reflectit animum circa lectionem, vel aliquam prae-notat difficultatem in conversatione proponendam. *Hora undecima* fit examen particulare circa aliquam virtutem acquirendam, vel vitium extirpandum. Deinde prandium, a prandio vero recreatio per horam. Qua finita animo recollecto eunt in templum ss. Sacramentum invisendi gratia.

**A prandio.** *Hora prima* discent vel methodum catechisandi vel concionandi, vel caeremonias ecclesiasticas, sive cantum Gregorianum, vel rubricas Breviarii, vel modum administrandi Sacraenta. *Hora secunda* recitantur Vespere in communi et post Vespere fit lectio unius capituli Novi Testamenti, quae ab omnibus devote genibus flexis cum actibus ante vel post solitis audiatur. Reliquum tempus studio theologiae impendent. *Media ad quartam* datur signum pro schola, sicut et mane. *Hora quinta* recitatur in communi Matutinum cum Laudibus, quibus absolutis fit in eodem loco lectio spiritualis ad sextam. *Media ad septimam* examen particulare, coena, recreatio, postea generale examen. Dato signo communi campanae exiunt se modeste ita, ut hora nona punctualiter, extincta candela, quiescant

in Domino, alias revisor cubicolorum visitabit, num ignis servetur diutius.

**Notandum I-mo.** Diebus ieunii omnia semihora tardius fieri. **2-do.** Quod diebus dominicis et festivis omittantur lectiones theologiae, omnes autem adesse debent Missae solempni et Vesperis, aliisque ecclesiae publicis officiis. Clerici qualibet dominica et festis, saltem maioribus, ad sacram Communionem accedent. **3-tio.** Qualibet hebdomada per unum diem ad relaxandum animum schola vacabit.

---

### MONITA PARTICULARIA.

---

#### In studiis observanda.

1) Nullus a schola aberit non consentiente R. Dno Professore. 2) In R. D. Professore omnes ipsam Christi personam reverebuntur. 3) Nemo, nisi illius nutu loquetur, aut difficultatem aliquam proponet. 4) Omnes sedula attentione audient et notabunt praecipua, quae doccebuntur. 5) Nemo opinionem suam pertinaciter aut nimia vocis contentione defendet. 6) Caveat quisque ne oppugnans respondentem, multo minus ipsum praeceptorem intercipiat. 7) Ne aliquis argumentantem vel respondentem irrideat, sed memor modestiae et status sui recollectus audiat.

#### Tempore Conversationis.

1) In quotidianis conversationibus ita devotionem cum modestia et hilaritate coniungant, ut alter alterum exemplo suo aedificet, atque excitet ad virtutem; idcirco tunc temporis unusquisque aliquid de eis, quae ad pietatem vel scientiam ecclesiasticam necessario pertinent, in medium proferre studebit. 2) Omnia, quae poterunt, mutuae charitatis signa invicem exhibebunt, 3) Caveant omnes, ne laesos se ab aliquo ostendant,

aut ipsi alios dictis vel factis, aut alio quovis modo laedant. 4) Vitari omnino debent verba detractoria, minus honesta, superba, aspera, irrisoria, aut quibus vitium aliquod laudari, aut pia aliqua consuetudo aliaque virtutum exercitia improbari viderentur. 5) Nullus de defectibus ad mensam notatis, praesertim lectore praesente, loquetur. 6) Nullus alterum tanget, ne per iocum quidem, gratia conservandae puritatis et modestiae. 7) Cum recreatio fiet in horto, quoad fieri potest, coniunctim incedant; inter ambulandum autem fructus, aut flores, nec etiam ramos aut frondes, gratia mortificationis, decerpant.

#### Tempore Officii Divini.

1) Cum laudes celebrare angelici sit opus ministerii, omnes in iis persolvendis, maximam, quam poterunt reverentiam, attentionem et devotionem adhibebunt. 2) Ad vitandos errores et distractiones, quisque praevidebit officiose, sese colliget, et suam diriget intentionem.

#### Ad Mensam.

1) Quisque se intra debitos modestiae et temperantiae limites continebit. 2) Nullus loquetur, aut indebite, aut inordinate oculos vagari sinet. 3) In comedendo praecipitationem aut quascunque immodestias fugiant. 4) Ut animus simul cum corpore reficiatur, attenti lectionem audiant, vel si ipsi legunt, monita pro lectoribus, vel inservientibus ad mensam, diligenter praevideant.

---

8.

# REGULARUM seu CONSTITUTIONUM

## SEMINARIJ CLARIOR ELUCIDATIO.

### CAPUT I.

#### De Scopo Seminarii Clericorum.

##### § I.

1. Intelligent ac meminerint omnes ad statum clericalem vocati, Seminaria eum in finem a sacri Concilii Tridentini Patribus, Spiritu Sancto afflati, per decretum instituta esse, ut dilatandae divinae gloriae, utilitati Ecclesiae, et animarum saluti provideretur abunde.

2. Quocirca quicunque Sacris initiandi, huius scholae Christi disciplinae se tradunt, intentionem suam imprimis fini a Spiritu S. per Ecclesiam proposito conformiter necesse est. Ante omnia pruritum inanem quam citissime suscipiendi Ordines, antequam sufficientem scientiam et pietatem sibi comparaverint, prudenter cohibeant et mortificare conentur. Omnia vana desideria, cupiditates saeculi, nocivam conversationem, amore Jesu Christi postponant. Spiritum mundi et habitus perniciosos, quos quaque in mundo insolenter contraxerunt, omnino exuant ac detestentur. Perpetuum indicent bellum mundo, carni et sanguini, tum amori proprio, et passionibus suis, sedulo mortificationem Christi in corpore suo circumferentes. Habeant sibi inviolabiliter persuasum, omnem fructum ulteriorem et progressum spiritualis vitae, quem sibi de illorum vocatione polliceri potest Ecclesia Dei, a bona et irreprehensibili conversatione in Seminario ut plurimum dependere, unde exire conabuntur tanquam naves a longinquo variis virtutum ac scientiarum oneratae mercibus; tanquam discipuli ex schola Christi,

Apostoli e coenaculo, induiti virtute ex alto, et digni aliquando dispensatores mysteriorum Dei. Idecirco nemo inveniatur ex illis, de quibus inquit Apostolus, speciem quidem virtutis habentes, virtutem autem abnegantes, ab omni larva hypocrisis et simulatae probitatis, non tantum qua Clerici in sortem Domini vocati, sed etiam qua homines christiani, omnino abhorrebunt. Satagent cum gratia Dei solida iacere virtutum fundamenta, scilicet modestiae clericalis, humilitatis, simplicitatis, puritatis, sobrietatis, patientiae, mortificationis etc. deponentes veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, qui creatus est secundum Deum in sanctitate et iustitia veritatis.

3. Serio curabunt, ut hac disciplina et sincera ad omnia exercitia tum scholastica tum spiritualia applicatione, nec non sua docilitate et alacritate, in omni virtutum genere consummati, ad curam animarum pretioso sanguine Christi redemptarum, boni operarii evadant. Illud secum frequenter reputantes: cur huc venisti? cur saeculum reliquisti? qui sibi nequam, cui bonus? Intelligent Clericos manere in Seminario velut plantaria in pietate, doctrina, timore Dei succrescentia in agrum dominicum transplantanda, ut ibi, velut arbor Davidica secus decursus aquarum, dent uberes fructus in tempore suo. Considerent desiderium Jesu Christi, qui eiusmodi fructus esurit, et animarum salutem sitit. Quapropter vanitatem mundi, brevitatem huius vitae, mortem singulis momentis instantem, semper pree oculis habeant; denique districtum Dei iudicium, quod gravius iis fiet, qui pluribus praesunt, et potentes potenter tormenta patientur. His igitur mediis, ambitus perniciosos et appetitum occupandi dignitates ecclesiasticas, lucrandi plura beneficia, tanquam a spiritu maligno saepissime pullulantem, qui se transfigurat in angelum lucis, in se mortificabunt et omnino extinguent.

4. Et quoniam ars artium est cura animarum, quae singularem doctrinam et pietatem in ministris Dei exigit et brevi tempore comparari non potest: ideo ut alumni Seminarii in utroque firmius solidentur, manebunt in Seminario per duos annos, nisi aliter urgente necessitate, auctoritate Illmi Episcopi dispensetur.

5. Quod si propter improbitatem, scandalum, aut negligentiam aliquis e Seminario (ubi ex bonis Ecclesiae, veluti patrimonio Christi, alimenta clericis subministrantur) electus fuerit, sciat, se quodammodo sorte Domini excidisse, et graviter tanquam alienae rei usurpatorem peccasse et ad restitutionem sumptuum pro se factorum, obligatum esse.

6. Unde etiam, si aliquando aliquis alumnorum de statu mutando et ingressu religionis cogitationem assumeret, non prius ad executionem propositi accedet, quam Illmo et Rdmo Episcopo vel Praefecto Seminarii manifestet, idque quam citius, cum in alium finem redditus Seminarii consumeret. Similiter nemo alumnorum extra dioecesim Seminarii huius morari, aut ibi Beneficium sine consensu Illmi ac Rndmi Dni Episcopi acceptare praesumat, quaelibet enim dioecesis clericos suos sibi alit, fovet et educat, ut eorum ministerio in cura animarum uti possit, ad quod ipsi eidem ex iustitia obligantur, alias contra huiusmodi, tanquam contra profugum procedetur.

7. Dum autem hac in domo adiumenta, quibus aliis ad salutem prosint, quaerunt, videant, ut ipsi prius omnium virtutum praesidio se muniant, cum non tantum doctrina, sed magis pietate et exemplo vita fidelium informanda sit.

## CAPUT II.

### De Requisitis Admittendorum.

#### § 1.

Qui in Seminarium admitti curant, testimonium bonae conversationis de vita et moribus, idque vel ab Officiali foraneo, vel a decano, vel a parocho, vel a magistro sub cuius directione aut iurisdictione immediate commorabantur, vel litteris aut servitiis operam dederunt, praesentare tenebuntur.

2. Testimonium legitimi ortus sui et baptismi exhibeant, quod ex metrica ecclesiae in qua baptisati sunt, cum subscriptione parochi sui vel decani ruralis et sub

sigillo ecclesiae petendum erit, litteras formatas, si sint aliquibus Ordinibus initiati. Item litteras dimissorias a suo Loci Ordinario, si aliqui ex aliena dioecesi oriundi reperiantur, secum asportent, et corporali iuramento ad usus et servitio huiusc dioecesis inviolabiliter sese adstringere tenebuntur.

3. Linguae latinae peritiam et profectum in humioribus litteris, nec non voluntatem in cura animarum suo tempore laborandi habeant, ad idque idonei videantur; quae idoneitas, ut melius cognoscatur, ab Adm R-ndo Praefecto praemittetur serium examen circa capacitatem admittendorum, qui si habiles inventi fuerint, in album alumnorum inscribentur.

4. Ad cantum Gregorianum vocem firmam et flexibilem ad facile discendum habeant; ad concionandum pectus liberum; ad caeremonias concinne peragendas aptitudinem, caeteraque qualitates ad digne exercendum ministerium ecclesiasticum possidere debebunt.

5. Aetas Ordinibus iisque praecipue maioribus competens sit, de qua ex metricis praedictis docebunt

6. Licet quidem habitus non faciat clericum, sed mutatio morum et integra mortificatio passionum, verumtamen, ut debitae honestati externae consulatur, unusquisque saltem unum par vestium novarum adferre curabit, quarum color sit niger, simplex, talaris, non levis, fimbriatus, variatorius. Collaria, utpote quae interiorum animae et conscientiae candorem designant, non cerulea, violacea, sed alba et nitida; pilei, cinguli, tibialia, et reliquus habitus non sit vanus, saecularis, sed modestiae clericali convenienter accommodatus. Capilli sine vanitate, cum tonsura clericali, iuxta praescriptum canonum, decenter ac conformiter attonsi. Praeterea unusquisque procurabit sibi superpelliceum, in quo non aliqua vanitas, sed mundities et modestia apparebit; auctorem, qui pro lectionibus scholasticis explicatur; Breviarium integrum pro recitando aut de cantando officio divino; biblia sacra, tum aliquos concionatores apostolicos, et libros spirituales secum asportabit.

7. Non sint alicui vitio radicali aut morbo subjecti, innodati aliquibus censuris, irregularitatibus, aut cuiquam quovis modo oneroso obligati, tales enim non prius admittentur, quam absoluti fuerint, et quibus obligantur satisfecerint, alioquin post susceptionem ad Seminarium deprehensi, excludendos se esse neverint, praevia alimentorum iuxta taxationem solutione.

8. Admittendi autem ad Seminarium non sint ii qui ex alicuius Ordinis monachorum aut alterius cuiuscunq; status Regularium Novitiatu, vel etiam post vota simplicia emissa, dimissi vel electi fuerint. Possunt tamen alii admitti, etiam statum Regularem professi, si pecuniam pro mensa solvant, legesque et regulas huius Seminarii servare sint parati.

9. In primo ingressu Seminarii statim unusquisque informari curabit de omnibus exercitiis, regulis, et virtutibus in illo practicari solitis. Tum de obligationibus, quibus se subiicere debet. Nullasque rationes praetenet ad se ab aliquo exercitio, vel pia consuetudine dispensandum.

### CAPUT III.

#### De Temporis Distributione.

##### *Horis antemeridianis.*

§ 1. Hora 5-a surgent omnes ad primum campanae sonum, et imprimis se signo crucis communientes, inter vestiendum aliqua devota cogitatione occupare satagent, vg. circa materiam meditationis mox futurae, memores modestiae et honestatis, dum vestes induunt. Postea lectulo decenter composito, media ad 6-am auditio signo campanae, omnes ad locum meditationis per medianam horam facienda, prompte et alacriter venient. Postquam ad locum meditationis omnes convenerint, in absentia Adm Rmi D. Praefecti vel alicuius ex Adm R-ndis Professoribus, Decanus Seminarii incipiet alta voce invocationem Spiritus S. dicendo: *Veni Sancte Spiritus etc.* cum collecta: *Deus qui corda fidelium.* Tandem praemissis actibus matutinis, tum actibus, qui orationem mentalem praecedere solent, meditationis puncta a lectore primae

mensae perlegentur, cui usque ad 6-am vacabunt. Circa finem meditationis emitte unusquisque salutare propositum circa aliquam virtutem magis necessariam acquirendam aut vitium extirpandum. Post vero Salutationem Angelicam cum littaniis de Nomine Jesu et orationem ad poscendum Dei favorem et amorem dicent.

Hora 6-ta recitabunt in communi parvas Horas, quibus finitis, unusquisque ad suum se recipiet cubiculum, ubi annotabit resolutionem in meditatione conceptam, in qua se illa die exercere conabitur, et postea reliquum temporis studio impendet.

Hora 7-ma ad pulsum campanulae communis descendens omnes simul sine mora ad ecclesiam S. Vitalis, ubi clerici audient Sacrum et sacerdotes celebraunt, nisi ipsis aliud tempus assignetur. Meminerint hic omnes singularis modestiae, pietatis et reverentiae tempore huius tremendi Sacrificii servandae, ut eorum exemplo alii easdem imitantur virtutes; post peractum Sacrificium omnes similiter insimul modeste in silentio alio non divertendo, domum redibunt, ut iterum unusquisque in suo cubiculo studio vacet.

Hora 9-na fiet lectio ab uno ex Adm Rndis Professoribus tali ordine: 1) Fiet repetitio lectionis praecedenti die explicatae. 2) Dubia secundum ordinem proponentur et resolventur, ac tandem sequens lectio explicabitur ex auctore.

Media ad undecimam quisque petet cubiculum suum, ibique vel reflectet animum circa lectionem, vel aliquam praenotabit difficultatem in conversatione proponendam.

Hora undecima, ad pulsum campanae omnes convenient in silentio ad oratorium pro faciendo examine particulari circa resolutionem in matutina oratione factam, de aliquo actu virtutis comparando aut vitio vel passione prae dominantante extirpanda, examinabuntque conscientiam, quomodo se usque ad praesens hac in parte gesserint. Deinde prandium, in quo sint memores modestiae et mortificationis. Finita mensa descendant recta ad locum destinatum pro dicenda Salutatione Angelica. Post recreatio, a qua omnes in honesti et aggressum mores absint, utile dulci miscendo et audit a lectio-

nibus scholasticis vel spiritualibus repetendo et propo-  
nendo.

*Horis Pomeridianis.*

Tribus quadrantibus ad primam pulsabitur pro fine recreationis, mox omnes auditio campanae pulsu, animo recollecto, convenient ad locum destinatum, dicturi devote litanias de B. V. Maria, pro benefactoribus Seminarii huius. Item *Ave Maris stella* etc.

V. Dignare me laudare te Virgo sacra.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitatem gaudere, et glorirosa B. Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia.

AD S. JOSEPHUM.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi et totius familiae tuae, quaesumus Dne, meritis adiuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui vivis etc.

AD OMNES SANCTOS.

*Antiphona.* Omnes Sancti Dei, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

V. Laetamini in Domino et exultate iusti.

R. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Omnes Sancti Tui, quaesumus Domine, nos ubique adiuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, et pacem tuam nostris concede temporibus et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Iter, actus et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis prosperitate dispone. Benefactoribus nostris

sempiterna bona retribue et omnibus fidelibus defunctis  
requiem aeternam concede. Per Christum Dominum no-  
strum. Amen. *V.* Divinum auxilium etc.

*Hora 1-a.* Addiscent vel methodum catechisandi,  
vel caeremonias ecclesiasticas, vel cantum Gregorianum,  
vel Rubricas Breviarii, vel computum ecclesiasticum,  
vel modum administrandi sacramenta, vel controversiaso,  
iuxta cadentiam exercitiorum diebus designatis.

*Hora 2-a.* Recitantur Vesperae cum Completoorio  
in communi, tandem fit lectio unius capituli Novi Testa-  
menti, quae ab omniibus devote genibus flexis, cum acti-  
bus ante et post recitari solitis, audietur; reliquum tem-  
pus studio lectionis scholasticae impendent.

*Media ad 4-am.* Traditur lectio scholastica, eodem  
ordine quo mane.

*Hora 5 ta.* Matutinum cum Laudibus in communi  
ab omnibus recitatur, quo absoluto, fit in eodem loco  
lectio spiritualis ad 6-am, quod autem supererit tem-  
poris usque ad coenam, poterit impendi revisioni Sacrae  
Scripturae, tum scholasticae lectioni, vel concionatorum,  
homiliarum et similium revolutioni, quapropter unus-  
quisque pro posse huiusmodi libros in cubiculo suo ha-  
bere curabit.

*Media ad 7m* Examen particulare ut supra, coena,  
recreatio regularis. Postea quadraente ad 9-nam pulsabitur  
pro examine generali, quod omnes absolvant in  
oratorio, more solito, circa defectus per totum diem  
commissos, deinde omnes in silentio ad sua se recipiunt  
cubicula, ut peractis suis privatis devotionibus, cubitum  
modeste eant.

*Quadrante ante 9am* dabatur signum, ut omnes can-  
delae extinguantur.

*Hora immediate 9-a* omnes decumbant. Curator vero  
luminis visitabit cubicula observando, et si quem non  
exstinxisse candelam adverterit, aut nondum iacentem  
vel loquentem audierit, A. R. Dno Praefecto die se-  
quenti significabit.

*Diebus Jeiunii.*

Omnia exercitia, inchoative a classe seu scholastica lectione matutina, usque ad examen generale exclusive, semihora tardius fient.

*Diebus Dominicis et Festivis Horis Matutinis.*

1. Post orationem mentalem, si commode et tempestive absolvvi poterit, ibunt omnes ad ecclesiam cathedralem pro decantando Matutino, quo finito, inservient Missis Rev. Dnor. Praelatorum, caeteri vero confessiones suas absolvent, si illas propter aliquod rationabile impedimentum, pridie post scholas serotinas absolvere non poterant.

2. Finitis confessionibus, omnes simul in ecclesia cathedrali, vel Sancti Vitalis, induiti superpelliceis, bini et bini, devote Sanctissimam Eucharistiam recipient.

3. Peracta post Communionem gratiarum actione, sacerdotes, si qui sunt, sua Sacra absolvent, ita ut tempore solemnis Missae nullus audeat celebrare.

4. Qui ad servitium maioris altaris assignati erunt, mature convenient, ut omnia suo tempore rite peragantur; sub pena pro gravitate negligentiae, ad arbitrium A. R. Dni Praefecti subeunda.

5. Omnes debita reverentia et devotione ad maius altare toti sacro aderunt, vel stantes vel genuflectentes, prout temporis ratio exiget, confabulari autem vel rixari, hic illuc caput cum immodestia movere, retro altare, vel alio procul, severe prohibetur, quinimo se gerent tanquam lucernae ardentes supra altare Dei, spectaculum facti mundo, angelis et hominibus, omnimodaque modestiae et pietatis exempla exhibebunt.

*Horis Pomeridianis.*

Post prandium, finita recreatione, tum absolutis precibus consuetis, pulsabitur pro exercitio catechismi, vel controversiarum, tum alio simili exercitio.

Post tempore consueto, Vesperis aderunt et Completo in ecclesia cathedrali, quibus finitis, ad pulsum campanae convenient omnes pro lectione spirituali per mediam horam peragenda, quae nunquam intermittetur, praeterquam in festis primae classis; reliqua, ut aliis diebus.

*Diebus Recreationis.*

Post orationem mentalem habebitur conferentia spiritualis de materiis viro ecclesiastico necessariis, ad prefectum in virtutibus et perfectionem tum christianam tum sacerdotalem pertinentibus. Reliquum temporis utiliter et fructuose consumunt.

Post meridiem, precibus ordiuarii in communi recitatis, poterunt pro temporis et aëris commoditate omnes simul cum A.R. Professore egredi in campum, ante horam 5-m ad Seminarium reversuri.

**CAPUT IV.**

**De Exercitiis Spiritualibus.**

1. In admissione ad Seminarium unusquisque ante omnia se supra anteactam vitam reflectet, tanquam exinde novam inchoaturus. Quod ut commode et fructuose fiat, primum quinque diebus extra conversationem alumnorum in assignato cubiculo exercitia spiritualia absolvet, ibique quolibet die in meditationibus et pii libri lectione se occupando, sub directione A. R. Dni Praefecti vel alicuius ex A. R. Professoribus, quae quidem exercitia poterunt abbreviari, si iam non pridem illa fecerit v. cito cum aliis facturus sit, et in istis exercitiis ad generalem totius anteactae vitae confessionem, vel ab ultima generali facta, faciendam se disponet.

2. Promovendus etiam ad quosvis Ordines, similia exercitia spiritualia faciet, cum confessione generali ab ultima alia generali facta, quibus exercitiis durantibus, interdicitur conversatio cum aliis alumnis.

3. In maioribus (Ordinibus) constituti, maiores (prout id ab eis tam divinum quam humanum ius exigit

et requirit) perfectionem vitae profiteantur et maxime presbyteri, ut non tantum sibi spiritualia lucra meritorum conquerant, sed etiam reliquis minorum Ordinum clericis exempla christianarum virtutum, humilitatis, obedientiae, charitatis, et diligentiae litterariae praebent.

4. Singulis diebus sacrificium Missae extra scamna flexis genibus audient. Omnibus vero diebus dominicis et festis ex arbitrio confessarii, nullo excepto, simul communicabunt, idcirco confessiones suas tempestive cum debita praeparatione absolvent.

5. Orationi mentali seu meditationi matutinae omnes fidelissime tempestive et devote adsint. Lectio nem spirituale legent audientque attente in communi diebus ferialibus post Matutinum per medium horam; diebus vero festis et dominicis immediate post Vespertas, exceptis festis 1-ae classis. Item diebus sabatinis, vigiliis festorum, et diebus recreationum, in quibus praefata lectio omitti poterit. In vigiliis vero recreationum, loco lectionis spiritualis in communi peragendae, praesentes regulas et statuta Seminarii post scholas serotinas legent continuabuntque per aliquod spatium temporis.

6. Horae parvae post meditationem matutinam recitabuntur omni die feriali, exceptis festis, dominicis et recreatione. Vesperae itidem (nisi eundum sit ad ecclesiam cathedralem), post quas flexis genibus detecto capite, cum actibus antecedentibus et subsequentibus legitur caput unum Novi Testamenti. Matutinum vero diebus sabatinis, in vigiliis festorum et recreationum, ipsismetque festis, dominicis et recreationibus omittitur; in reliquo, nullo die excepto, attente, devote, et distinete, in communi recitari debet, praesidente hebdomadario, qui pro qualibet hebdomada assignabitur. Conditiones requisitae ad rite persolvendum officium divinum versibus sequentibus exprimuntur:

Erige cor sursum, ne psallens mente vageris.

Vox distincta, locus, tempus servetur et ordo.

Ne mutes, omittas, interruptio nulla.

7. Notandum, omnes Seminaristas, propter praxim, ritum et caeremonias addiscendas, festis omnibus primae

et secundae classis, primis et secundis Vesperis; item Matutino cum Laudibus et Missae solemni assistere et inservire obligatos esse, aliis vero festivitatibus et dominicis diebus Matutino, Missae et secundis Vesperis tantummodo ac Ill. Peril. et Rev. Praelatorum particularibus Missis inservient, iuxta obligationem in Erectione expressam.

8. Quotiescumque adibunt ecclesiam cathedralem pro Matutino et Vesperis aut alia devotione, induiti superpelliceis, per paria bini et bini simul domo exibunt et redibunt.

9. Ad mensam pius aliquis liber legetur, et toto illo tempore tam prandii, quam coenae, sive ad primam sive ad secundam mensam, modestia debita et silentium strictissimum servetur, sub poena subtractionis die sequenti, portionis victus, vel totius prandii.

10. Quilibet recreationis die post meditationem matutinam, habebitur conferentia spiritualis de materiis perfectioni christiana et spiritui ecclesiastico accommodatis, in qua vitabit unusquisque pruritum vanae gloriae, fumum verborum inutilium, conceptus scholasticos, qui spiritum vanitatis sapere videantur. Sed in spiritu simplicitatis, modeste et devote exponet ea, quae meditationis tempore cogitaverat: ut confratres suos aedificet, et quem fructum ex meditatione receperit, omnibus innotescat.

11. Omnia exercitia tam spiritualia quam litteraria mature, serio, attente et devote absolvant, colloquia, cachinnationes, levitates procul sint ab illis. In omni loco et tempore praeluceant exemplo bono et studebunt esse bonus odor Christi, ita ut modestia illorum clericalis nota sit omnibus hominibus, qui contemplantur Seminaristas tanquam angelos Dei.

12. Curabunt etiam, ne aliis temporibus, de rebus inutilibus et vanis fratres inter se colloquantur. Detractio, scurrilitas, aut turpiloquia nec nominentur in eis, sub poenis gravioribus. Per hoc tamen ioci honesti suo loco et tempore non excluduntur.

13. Fraternam charitatem inter se foveant, quod servabunt, si ea, quae ad correctionem fraternal perti-

nent non omittant, si iurgia et verba iniuriosa non proferant, odia nulla teneant, observationes disciplinae non insectentur, in quod facile prolabi solent ii, qui animi sunt dissoluti et disciplinae osores.

14. Nullam pravam de aliis cogitationem in corde suo admittant, nihil faciendo aut dicendo, quod possit aliquem contristare, sed mutuo se amore, honore et observantia, ut fratres Christi complecentur, amicitias particulares ut pestem fugient, sicut et rixas ac levitates in conversatione.

15. Si aliquid molesti in Seminario naturae perversae occurret, tolerandum est fortiter sine murmuratione. Regnum enim coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud; poterit nihilominus A. R. Dno Praefecto molestiam cordis sui aperire.

16. Cum nemo sibi ipsi sufficiat, miseritque Deus Paulum, etiamsi in lege doctum, ad Ananiam tanquam ad doctorem suum; quisque voleus proficere de virtute in virtutem, debet extra confessionem cum directore, quem eligit, de statu vitae suae conferre, passiones animi sui et molestias interiores aperire.

17. Multi caeco impetu feruntur ad Ordines recipiendos, etiamsi virtutes, scientiamque ad illos necessariam nondum habeant, moderandus est ille inordinatus appetitus, totaliter se arbitrio A. R. Dni Praefecti subiiciendo et dignum se promotioni reddendo, illudque pro rato et grato acceptando, quidquid circa unumquemque in Domino disponere iudicaverit.

## CAPUT V.

### De Exercitiis Litterariis.

1. Festis solemnioribus concionem seu sermonem ad populum de aliqua virtute acquirenda vel vitio extirpando, stylo simplici, plano et apostolico, zelose diligenterque concinnatum, non in persuasilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis habebunt in ecclesia parochiali, quem anticipative revindendum praesentabunt A. R. Dno Praefecto, eundemque

in vigiliis festorum ad mensam ex suggestu per turnum et vocationem perorabunt. Adm autem Rndus Praefectus aut aliquis ex A.R. Professoribus in defectu illius, animadvertiset et perorantem secreto et charitatively (si opus fuerit) admonebit.

2. Per turnum et vocationem, nisi aliter videatur Adm R. Duo Praefecto, aut eius locum tenenti, omnibus dominicis habebunt catechismum seu doctrinam christianam ibidem in ecclesia parochiali, pro quo exercitio unusquisque diligenter sese praeparabit, ut illud fructuose utiliterque peragat, et audientes non tantum verbo, sed etiam sua modestia, mansuetudine et exemplaritate aedificet. Post recta redibunt domum, nullibi divertendo.

3. Singulis diebus ita studeant omnes, ut ab A. R. Dno Praefecto aut Professore moniti, singuli parati sint quotidie lectionem repetere dubiaque movere.

4. Hoc ut animo promptiore exequantur, meminirent imprimis se in eadem domo commorari, quae non alio fine, quam pietatis et studii, sumptus in eos facit, quos vult idoneos ministros Ecclesiae producere. Deinde sciant labores suos in exercitiis litterariis perppersos meritatorios esse apud Deum, dum ad eius gloriam et utilitatem Ecclesiae referuntur. Proinde molestia legendi, si quibus est importuna, fortiter est superanda, et ab oratione aliqua, vg. *Deus, qui corda fidelium etc.* vel *Actiones nostras quaesumus etc.* humiliter semper inchoandum, causa opis divinae implorandae intentionisque rectae habendae, nulla occasio iniusta lectionem omittendi vel interrumpendi, etiam praetextu obsequii in ecclesia, tum ad se non pertinentis, aut simulatae devotionis, quaeratur.

5. Nullus alterum sive in proprio cubiculo sive in communis hipocausto sedentem, tempore studii interturbet et alloquatur sub poena arbitraria, idque potissimum a recitatione parvarum Horarum usque ad lectionem. Item a lectione finita et repetitione usque ad horam undecimam. Et deinde a Vesperis post meridiem usque ad tempus lectionis, quae incipit hora media ad 4-am. His igitur, tum aliis temporibus et praecipue post examen generale, praecipitur strictissimum silentium, sub poenis gravioribus.

6. Et quoniam non exigua pars est profectus, ad eumque non parum confert tersus linguae latinae usus: ideo non solum in schola, sed etiam in cubiculo, latino idiomate loquantur. Is, qui polonice locutus fuerit, semper admonitionem subibit.

7. Vacatio generalis a festo S. Vincentii a Paulo decima nona Julii ad festum S. Matthaei concedetur, quo tamen tempore studia et exercitia, tam spiritualia quam litteraria, privatim non erunt alumnis negligenda. Proinde ii, qui in Seminario remanebunt, ad pulsum campanae surgent 6-a hora pro meditatione absolvenda, reliquum temporis lectioni librorum, tum relaxando modeste animo, impendent, in omnibus accommodando se regulis et consuetudinibus Seminarii, alias in negligentiam et dissolutionem eiusmodi A. R. Dnus Praefectus animadvertere obligabitur.

8. A pervigilio quoque Nativitatis Dni Nostri Jesu Chr. lectiones intermissae, 2 Januarii reassumentur, nisi in diem dominicum inciderit, alias die sequenti. Item duabus feriis, ut dicitur carnisprivii, A. R.R. Professoribus vacare licebit; nemo tamen illis diebus e Seminario egredi praesumat, aut licentiam egrediendi petat. Item circa tempus paschale feria 3-a maioris hebdomadae, utraque lectione facta, cessabunt scholae usque ad feriam 5-m paschae inclusive. Similiter festo pentecostes a sabbato inclusive ad feriam 4-m exclusive. Sabbato etiam SS. Trinitatis festum praecedente, nihil studii publici habebitur, si eo die ordinatio fieri debeat; nihilominus his quoque temporibus festorum, Alumni, quantum commode tempus patietur, diligentiam privatim non deserent.

9. Singulis quoque septimanis feria 5-a lectiones ordinarie intermittentur, exceptis illis hebdomadis, quibus duo, vel plura festa celebria ad populum intervenient; tunc recreatio solita concedi non debet, nisi aliter visum fuerit A. R. Dno Praefecto.

## APPENDIX.

### In studiis observanda.

1. Nullus a schola aberit, non consentiente R. Professore.
2. Omnes in R. Professore ipsam Christi personam reverebuntur.
3. Nemo, nisi illius nutu loquetur, aut difficultatem aliquam proponet.
4. Omnes sedula attentione audient et notabunt, praecipue ea, quae docebuntur.
5. Nemo opinionem suam pertinaciter, aut nimia vocis contentionе defendet.
6. Caveat quisque, ne oppugnans respondentem, multo minus R. Professorem ipsum intercipiat.
7. Ne aliquis argumentantem vel respondentem irrideat; sed memor modestiae et status sui, recollectus omnia audiat.

### Tempore Conversationis.

1. In quotidianis recreationibus ita devotionem cum modestia et hilaritate coniungent, ut alter alterum exemplo suo aedificet, atque excitet ad virtutem; idcirco tunc temporis unusquisque aliquid de eis, quae ad pietatem vel scientiam Ecclesiasticis necessariam pertinent, in medium proferre studebit.
2. Omnia quae poterunt, mutua charitatis signa invicem exhibebunt, honorifice alios compellant.
3. Caveant omnes, ne se laesos ab aliquo ostendant, aut ipsi alias verbis, vel factis, aut alio quovis modo laedant.
4. Vitari debent omnino verba quaelibet detractoria, minus honesta, superba, aspera, irrisoria, aut quibus vitium aliquod vel abusus laudari, aut pia aliqua consuetudo aliaque virtutum exercitia, improbari videantur.
5. Nullus de defectibus aliorum, vg. lectoris ad mensam, praesertim ipso lectore, loquetur.

6. Nullus alterum tanget, ne per ipsum quidem iocum, gratia servandae puritatis et modestiae ecclesiasticae.

7. Cum recreatio fiet in horto, quo fieri potest coniunctim incedant, inter ambulandum autem non fructus aut flores, nec etiam frondes aut ramos, gratia mortificationis decerpent.

## CAPUT VI.

### De aliis Exercitiis et quibusdam observandis.

1. Ab officiis et exercitiis communibus Seminarii nullus se sine speciali licentia absentabit et dispensabit. Si vero aliquis alicui exercitio non adsit, vel interesse non possit, vg. meditationi matutinae, lectioni spirituali, devotioni in ecclesia, examini generali, primae mensae etc. tenebitur reddere rationem A. R. Dno Praefecto, alias in eiusmodi desertores serio animadvertisetur.

2. Ad studia et lectiones scholasticas ii praecipue, qui sumptibus fundationis subsistunt, ex iustitia sese applicare conabuntur. Proinde illis temporibus, quibus lectiones sibi assignatas praevidebunt, praecipitur strictissimum silentium; omnimeodae relaxationes et visitationes mutuae prohibentur, ita ut unusquisque in angulo cum libello reperiatur.

3. Ab A. R. Dno Praefecto nihil petant, quod disciplinae, vel decentiae, vel statutis domus repugnet.

4. Nemo e Seminario sine licentia sive in civitatem, sive alibi egredietur, neque eam sine iusta causa, animo divagandi, speciosis prætextibus petat, sub poena arbitaria; obtenta vero licentia, socium sibi designari, cum quo ire debeat, ab A. R. Dno Praefecto aut eius locum tenente, postulabit. Qui vero non obtenta licentia, vel prohibentibus superioribus, egredi ad civitatem præsumperit: pro prima vice poenam gravorem subibit, pro secunda vel tertia exclusionem incurret, salva refusione sumptuum.

5. Obtenta licentia egrediendi, nullibi alio divertent, praeterquam ubi illis specialiter concessum fuerat, et hora praefixa domum redire conabuntur,

nec sub ullo praetextu ad seram noctem, etiam in hieme morari in civitate prae sument, sub poena gravi. Qui autem vel semel domi, id est in Seminario non noctaverit, absque ulla cunctatione eiicietur.

6. Distincto et sub poenis gravissimis prohibetur, ne ullus audeat ad cauponas alia que loca, in quibus potus propinatur, divertere, nec ad prandia coenasque extra-neorum ac similes tractationes ingredi, sed dum neces-sitatis causa descendant in civitatem, suis rebus unus-quisque intentus, modestiam in incessu, omnem decentiam et honestatem servando, tempestive et sobrie do-mum redibit.

7. Et cum nihil turpius ac pertinacius sit in viro ecclesiastico, quam ebrietas, malorum omnium radix, mater vitiorum, virtutum neverca, idcirco diligenter observabuntur ii, qui ad hoc nefandissimum vitium sunt propensi, gravissimisque poenis pro prima et secunda vice mulctabuntur, pro tertia poenam electionis incurrent.

8. Domum Seminarii ingressi, redditum suum A. R. Dno Praefecto nuntiabunt, ad eum ingrediendo ratio-nemque gestorum reddendo, quod nunquam intermitten-dum.

9. Cremati et aliorum liquorum usus abominabilis, similiter quoque frequentatio cubiculorum, clam comes-sandi aut compotandi cum aliis sociis causa, severissi-me prohibetur. Quapropter ii, qui sine licentia speciali, liquores cuiuscunque speciei sibi clandestine procuraverint, vel alios in cubiculis tractare prae sumperint, poenis supra expressis, tum exclusione e Seminario, qua homi-nes scandalosi, punientur.

10. Recreationibus, quas extra domum raro pro li-bitu A.R.Dnus Praefectus concedet, omnes sine excep-tione aderunt, nullus alio divertere audebit, sed simul omnes quotquot missi fuerint, modeste revertentur. Qui autem se ab aliis avulserit, pro poena septem psalmos poenitentiales sub tempus prandii genibus flexis recita-bit; alia vice graviorem incurret.

11. Extranei non admittantur ad visitanda superiora cubicula Seminaristarum etiam convictorum, nec in iis

morentur, nisi de licentia A. R. Dni Praefecti et ex iusta causa, sub poenis arbitrariis.

12. Culinae ingressus et refectorii extra tempus prandii vel coenae, sine licentia, tum aliarum domus officinarum, districte prohibetur. Si quis vero extra tempora consueta aliqua refocillatione egeat, in omni confidentia et simplicitate, licentiam ab A. Rndo Dno Praefecto vel eius locum tenente, postulabit.

13. Extra necessitatem nunquam exhibunt e suis cubiculis, nec per curritoria vagabuntur, nec in fenestris otiose iacendo, ad extra prospectabunt; sed semper studio lectionis et virtutum intenti, lectioni aut orationi operam dabunt.

14. Nunquam exhibunt e cubiculo, nisi omnimode ac decenter vestiti, neque apparebunt foras sine cingulo, vel cum pileo nocturno.

15. Omnes legent ad mensam, et etiam ministrabunt ex ordine in spiritu Christi, qui asserit, se non venisse, ut ei ministretur, sed ut ministraret omnibus; et tunc temporis sive legant, sive ministrent, sive manducent, omnia propter imitationem Christi facient, lectioneque quae tunc fit, tanquam pabulo spirituali, animas suas cum reflexione ad se reficient. Si quis vero legendo ad mensam erret, sive in aliis occasionibus corrigatur, id benigne recipere sedulo curabit, sed sataget etiam, ut nullus eum arguat, cum hoc solum pertineat ad Superiores, multominus eum aliquando irrideat.

## CAPUT VII.

### D e P e r s o n i s .

1. Omnes alumni Seminarii, diligentem operam navabunt, ut totam theologiam moralem diligenter percurrant, et ad curam animarum apti et sufficientes inveniantur.

2. Presbyteri neo-ordinati antequam e Seminario discedant, caeremonias sacrificii Missae rite exercebunt et addiscent; quamdui vero in Seminario manebunt, scholam frequentare et omnia ecclesiae et Seminarii exercitia obire tenebuntur. Idem, praecipue in fundatione

existentes, a Missis celebrandis ad intentionem A. R. Dni Praefecti non se excusabunt.

3. Si quem, exigente id necessitate, ante tempus praescriptum contingat ad presbyteratum promoveri, salva manet obligatio ad decursum duorum annorum in Seminario manendi.

4. Convictores si qui fuerint, pensionem pro victu quolibet quartuali anticipative solvent, nullas distinctiones et exceptiones praetendent, ad omnia vero munia et exercitia Seminarii simul cum aliis obligabuntur.

5. Pueros ad obsequia sua vel consanguineos non fovebunt, memores exempli Christi, qui dixit: „Non veni ministrari, sed ministrare“. Cavebunt etiam ne facile fingant praetextus se absentandi a Seminario ob consanguineos vel suas necessitates, maxime id denegabitur pro festis natalis Christi, paschatis, et diebus ultimis bachanaliorum, quibus erunt contenti his portionibus, quae in lacticiniis, secundum usum et consuetudinem apponentur.

6. Nullus gerendarum rerum officium suscipiet, neque negotia externorum sive consanguineorum, sive quorumcunque aliorum, propter quae sibi extra limen Seminarii per civitatem divagandum esset.

7. Omnimodam munditiem et silentium in cubiculis servabunt, vitando strepitum in claudendis foribus, et in scalis deambulando per curritoria.

### CAPUT VIII.

#### D e R e b u s .

1. Locus, qui pro lectorio, oratorio et coenaculo habetur, semper sit in honore, tam quoad munditiem quotidianam, quam quoad silentium, ita, ut si quis se immodeste in iis gesserit, poena duplo maiori, quam si in alio loco peccaverit, puniendus sit.

2. Nullus Seminaristarum, nec quisquam alius libros, supellectilem, et alia huiusmodi, quae sunt Seminarii propria, audeat sibi appropriare, secum asportare, extra Seminarium cuique accommodare, voluntarie destruere, sub poena excommunicationis.

3. Res etiam quascumque Seminarii, per negligenciam alumnorum et insolentiam destructas, ipsorum sumptu reparari oportebit.

4. Sub eiusdem etiam excommunicationis poena nemo domesticorum res alumni fugam parantis vel profugi etiam receptare, extradere vel curam illarum habere praesumat, sed unusquisque A. R. Dno Praefecto deferat, et de exportatione rerum, antequam fiat, prae moneat, graviori si secus fecerit, puniendus poena.

5. Quotiescumque pro sepulturis et exportatione defunctorum extra Seminarium mittuntur, candelas (quae ibi assistantibus distribuuntur) sciant ad accidentia Seminarii pertinere, quas post redditum in Seminarium, decanus ab unoquoque recipiet, et ad procuram domesticam fideliter referet.

6. Serio omnibus et singulis recommendatur, ut decanum Seminarii omnes debita reverentia prosequantur, et ipsi in omnibus, quae muneris eius sunt, sine contumacia obedient; caveat unusquisque, ne se laesum ostendat, quod forte defectus ipsius a decano A. R. Dno Praefecto deferantur, nullam aversionem ideo in corde foveat, et quod magis, se accusatum ab illo exprobrare audeat et coram aliis murmuraret, et conqueratur. Habeant omnes invincibiliter persuasum, ista omnia bona intentione et animo obligato fieri, praeceptum itaque correctionis esse iuris divini inter opera charitatis et misericordiae spiritualis repositum, nam unicuique mandavit Deus de proximo suo, multo magis mandavit iis, qui ad correctionem aliorum vi officii sui et muneris obligantur. Proinde omnem correctionem, delationem et admonitionem, tanquam ex ore Dei procedentem, grato animo suscipiant, et in meliorem partem interpretentur, secundum illud Sapientis: „Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulazione decipi, (Eccl. 7). „Item, argue sapientem et diligit te; noli arguere derisorem aut superbum ne oderit te (Prov. 9). Item, qui increpationes odit, morietur, et qui abiicit disciplinam, despicit animam suam (Prov. 15). Via stulti

recta in oculis eius, qui autem sapiens est, audit consilia“  
(Prov. 11).

### Appendix ad omnia.

Omnibus Seminarii clericis et alumnis ea sit prima et praecipua lex, ut omnem reverentiam et obedientiam A. Rndo Dno Praefecto et R. Rndis Professoribus exhibeant, sub poena gravi et praecipue exclusionis e Seminario. Nemo de Seminario, utpote de domo sua altrice, ut ingratus, sinistre quidquam loquetur et sparget; eiusque exercitia quasi onera (quae bonis sunt iucunda, levia et suavia) exaggeret, cum disciplinam sanctam, statui clericali convenientem et necessariam contineant. Nullus de victu, modo regiminis, Professoribus et superioribus suis, murmuret et conqueratur.

Has leges et statuta in vigili observantia omnes habebunt, contra quae si quis malitiose deliquerit, per A. R. Dnum Praefectum puniendus erit poenis, tam ex praescripto legum quam ex arbitrio, ubi non sunt legibus taxatae, infligendis. Rebelles autem ac refractarii post tertiam monitionem incorrigibiles, detracto habitu clericali, protinus tanquam oves morbidae, ne alias exemplo pravo inficiant, eiicientur. Insuper in gravioribus A. R. Dnus Praefectus auctoritatem Illmi ac Rev. Dni Episcopi, tum Perillustrium Provisorum requiret.

Regulas officiorum Seminarii unusquisque revolvet et illarum exactam notitiam habeat, ut in omnibus, qua par est, obligationibus suis satisfaciat. „Qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia“ (ad Gal. cap. 6). „Si volueris mandata servare, conservabunt te“ (Eccl. 5).

## REGULAE SPECIALES

### OFFICIORUM SEMINARII.

#### Officium Decani.

1. Decanus Seminarii, utpote oculus A R. Dni Praefecti et custos legum, debet esse forma gregis, dux in via virtutis, lucerna ardens et lucens, regularum zelosus, regularis, humilis, amans boni ordinis, ab omni partititate, amicitiis particularibus et respectu privato alienus. Ad ipsum pertinebit sibi primo, ut bono exemplo omnibus praeluceat, tum aliis invigilare, ut disciplina Seminarii cum omnimoda regularitate et integritate boni ordinis, quam exactissime servetur, et sequentia ad effectum ducatur. Idcirco debet esse versatissimus in regulis et constitutionibus, ut ipse illas fidelissime observet et ab aliis observari curet.

2. Observabit in vera fraterna charitate omnium consociorum vitam et mores, eorumque excessus contra regulas Seminarii et a fortiori contra praecepta Dei et Ecclesiae (quos si committerent, quod Deus avertat), A. R. Dno Praefecto Seminarii vel eius locum tenenti fideliter deferet, nihil addendo vel diminuendo, ne sciens et non manifestans, infidelitatis notam coram Deo et hominibus contrahat. Etenim non tantum, qui talia faciunt, digni sunt morte, iuquit Apostolus, sed etiam qui consentiunt facientibus.

3. Ad decanum pertinebit superintendere officiis Semiuarii, ut omnes functionibus suis accurate satisfaciant, sive in Seminario, sive in ecclesia cathedrali. Et praecipue curator campanulae punctualissime pro omnibus exercitiis pulsando, curator luminis in extinguendis candelis post examen generale. In defectu vero vel absentia illorum, propter vitandum disordinem, ipsem et officia pro aliis supplebit vel etiam alium in supplementum assignabit. Cui omnes obedire et obtemperare sub poenis tenebuntur.

4. Observabit ut orationi mentali de mane, item lectioni spirituali et orationibus post recreationem in schola recitari solitis, omnes fidelissime intersint. Ab officio divino, quod in communi recitatur, tum a Matutino et Vesperis in ecclesia cathedrali, aliisque exercitiis, nullus se omnino absentet. Et quod potissimum, ut omnes Seminaristae omnibus dominicis et festis diebus in ecclesia cathedrali aut S. Vitalis, nullo excepto, simul communicent et confessiones suas tempestive absolvant.

5. Ne tempore exercitiorum communium fiant colloquia, cachinationes, levitates, decanus serio invigilabit. Item extra recreationem risus immodesti, clamores, strepitus, divagationes per cubicula, quae fiunt in magna iactura temporis, tum distractione aliorum, damno et detimento lectionis scholasticae et debitae applicationis, ne fiant, omnino impedit.

6. Pro iis, qui retardant convenire pro exercitiis communibus, vg. meditatione etc., decanus mittat ad monitorem, eos praemonendo et invitando, ut in tempore et punctualiter convenient.

7. Tempestive praevidebit decanus quo tempore de mane incipiet officium in ecclesia cathedrali, ut sciat quanam hora excitare clericos debeat pro absolvenda meditatione matutina, nisi forte aliquando media ad 5-am eundum sit ad ecclesiam, nam tunc meditatio intermitti poterit, unusquisque tamen in spiritu recollecto illam captato tempore privatim supplere curabit.

8. Quotiescumque ibunt ad ecclesiam cathedralem pro devotione, induiti superpelliceis, per paria bini et bini simul domo exibunt et redibunt. Ultimus autem in ordine semper ibit, et sequetur Seminaristas decanus, ut videat, qui absint, et observet eorum defectus.

9. Assignabit aliquos clericos ad inserviendum Missis privatis Rndmoris. Capitularium diebus festivis et dominicis tantum, et qui tota hebdomada inservire debebunt Missae communalis in ecclesia S. Vitalis, lectores primae et secundae mensae cum servitore, ad ipsum designare pertinebit, nisi forte A. R. Dnus Praefectus vel eius locum tenens, eiusmodi officiales solus

assignaverit. Porro meminisse debet, ne ulla circa officiorum distributionem passione regatur, ut omnes sine exceptione aequaliter se exerceant in functionibus clericis.

*Notandum.* Nemini permettere debere decanum ut pro R. D. Vicariis ecclesiae cathedralis suppleat officium diaconi vel subdiaconi, sine expressa A. R. Dni Praefecti licentia.

10. Illis diebus, scilicet vigiliis festorum et sabbatis, quibus eundum sit ad ecclesiam cathedralem pro Vesperis, statim post recreationem, curabit informari a R. Professore, qua hora anticipative pulsandum sit pro schola pomeridiana.

11. Ante horam 7-am praemonebit mature aliquem ex A. R. Sacerdotibus, ut pro Missa communitatis ad ecclesiam S. Vitalis descendere dignetur. Tempore cuius Missae omnes intra chorum ordinate flectent, ultimus vero post illos decanus.

12. Pridie recreationis, quae semel tantum in septimana ordinarie solet concedi, post lectionem regulorum petet ab A. R. Dno Praefecto materiam futurae meditationis et conferentiae, in crastino habendae; ut quis tempestive, fructuose, et spiritualiter dicenda præparet.

13. Toties, quoties eundum erit ad ecclesiam cathedralem, vel quotiescumque cum Seminaristis simul domo exhibet vel redibit, tam egrediendo e Seminario, quam redeundo, præsentabit se A. R. Dno Praefecto Seminarii sive eius locum tenenti. Et si aliqui non redierint simul, illos significabit nominatim.

14. In fine mensis referet catalogum officialium ad A. R. Dnum Praefectum, ut pro altero mense, alias officiales designet.

15. Decani officii et muneris est A. R. Dno Praefecto defectus notabiliores in Seminario, ut ea quae correctione indigent, pro amore regularitatis et boni ordinis, tempestive significare. Proinde notabit sibi per totam septimanam, si qui ex Seminaristis exercitiis communibus, vg. meditationi et aliis non adfuerint, aut nimis tarde convenerint, vel etiam in aliquo contra leges

Seminarii deliquerint, et clericalem modestiam notabiliter excesserint, aliis scandalo et malo exemplo fuerint, inconvenienter statui et vocationi suae vixerint. Eiusmodi praevericatores de cognomine notatos, in schedula omni vigilia recreationis fidelissime A. R. Dno Praefecto reddet corrigendos, nisi periculum sit in mora, habitatione scandalis vel alicuius consequentiae, et urgentis necessitatis, nam in eiusmodi casibus et circumstantiis, quam citissime et instantanee, obviando malis subsequentibus, quae sunt deferenda, sine mora deferat. Advertat igitur et intelligat decanus, quanti momenti, importantiae et excellentiae officium sibi concreditum habeat, et quanti ponderis et obligationis onus conscientiae ipsius impositum sentiat. Proinde in munere sibi commisso ita se gerat, quasi Deo et hominibus pro omnibus rationem redditurus. Caveat tamen, ne in redarguendis, deferendis, aut corrigendis defectibus aliorum, aliquid de spiritu livoris, aversionis, aut vindictae habeat, et metam prudentiae, discretionis, charitatisque fraternalis, et debiti erga alios respectus, excedat. Ita ut impleat illud S. Petri monitum: „Nou dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.“

16. Codicem praesentem legum Seminarii decanus apud se conservabit, quem quotiescumque aliquis Seminaristarum revolvere voluerit, extradet legendum, et postea ad suum cubiculum recipiet.

#### Officium Monitoris.

1. Monitoris officii est, supplere vices decani, si in aliquibus se infideliter gerat, obligationi suae non satisfaciat, et functioni sibi impositae propter absentiam vel negligentiam deesse videatur.

2. Ad ipsum pertinebit neovenientes ad Seminarium de omnibus regulis, exercitiis et consuetudinibus fideliter informare. Labia enim eius custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius. Sed quia nemo dat, quod non habet, idcirco monitor debet habere exactissimam notitiam constitutionum Seminarii, illas saepe revolvere, ut alios rite informare queat.

3. Si aliquis clericorum tardaverit pro aliquo exercitio sive scholastico sive spirituali, monitor tarde venientibus dabit signum, et illos cum omni respectu invitabit.

4. De defectibus contra regulas Seminarii vel officiorum delinquentis prudenter et suaviter admonebit, si quos vero incorrigibiles advertat, notabit in schedula per totam hebdomadam defectus, praesertim graviores, et omni die dominico A. R. Dno Praefecto reddet corrigendos.

5. Cum igitur ipsius muneris sit aliis praestare officium correctionis fraternalae, debet ipsem esse irreprehensibilis, zelosus, regularis, exemplaris, ne ipsi merito exprobrari possit: „Medice cura te ipsum“.

#### Officium Curatoris Campanulae.

Habens curam campanae Communitatis, curam habet vitae communis, ab eo enim dependet ordo domesticus, qui est anima rerum. Idcirco pulsabit exactissime pro quovis exercitio Communitatis, observando in pulsu numerum et regulamen iuxta expressam in tabula connotationem, scilicet:

	Pulsus	Tinnitus
Hora 5-a mane . . . . .	30	—
Media ad 6-m pro meditatione inchoanda . . . . .	—	30
Hora 7-a pro Missa. . . . .	12	8
Hora 9-a pro lectione . . . . .	12	12
Media ad 11-m pro fine scholarum. . . . .	—	12
Hora 11-a pro prandio. . . . .	30	8
Ad secundam mensam . . . . .	—	30
Tribus quadrantibus ad 1-m pro fine recreationis . . . . .	—	30
Hora 1-a pro exercitio . . . . .	—	12
Hora 2-a pro Vesperis . . . . .	12	8
Media ad 4-m pro lectione . . . . .	12	12
Hora 5-a pro fine scholarum et Matutino . . . . .	12	8
Media ad 7-am pro coena . . . . .	30	8

	Pulsus Tinnitus
Ad secundam mensam . . . . .	— 30
Quadrante ad 9-m pro examine generali	30 8
Tribus quadrantibus ad 9-m pro silentio.	— 12
Hora 9-a pro exstinguendis candelis .	— 9
Pro Vesperis ad ecclesiam cathedralem.	— 25
Pro lectione spirituali diebus festivis .	— 15
Diebus vero ieunii omnia media hora tardius fiunt, praeter meditationem, Missam Communitatis, et examen generale.	
In vigiliis festorum et diebus sabbati pulsatur pro confessione media hora, post scholas pomeridianas . . . . .	— 15

Debet habere notitiam exactam quo tempore et ordine exercitia Seminarii peragantur, et devotio in ecclesia cathedrali absolvatur, ita ut nec citius, nec tardius, sed in puncto ad ultimum horae annotatae in ordine pulsandi sonitum, pulset punctualissime.

Ante quamlibet seu prandii seu coenae vel collatione comestionem, uno circiter quadrante ibit ad culinam et inquiret a coquo, utrum prandium sive coena iam sit parata, ut pulset hora consueta; si necdum res sint paratae, significabit A. R. Dno Praefecto vel eius locum tenenti et nonnisi tempore ab illis designato pulsabit. Ad ipsum pertinebit Seminaristas de mane pro meditatione excitare, proinde finito pulsu campanae communis, adibit uniuscuiusque cubiculum, et pulsando fores, voce mediocri dicet: „*Benedicamus Domino*“, quod semel et iterum continuabit, donec ipsi respondeatur: „*Deo gratias*“. Caveat interdum aliquam levitatis notam, ne contra silentium et modestiam nimium strepitum et clamorem excitando, delinquat.

#### Officium Sacristiani.

Sacristianus quivis magni aestimare debet officium sibi commissum, ipse enim est Dni Nostri in Sanctissima Eucharistia vere realiter et substantialiter existentis, intimus cubicularius. Meminerit ergo cum quali pietate,

modestia, honestate et gravitate obsequium suum angelicum Christo Domino exhibeat. Ante et super omnia attendet, ut in ecclesia et sacristia sit omnimoda munidies, nec quidquam sit, quod oculos offendere possit. Ideoque toties quoties opus fuerit, et ad minus quovis die semel ecclesiam et sacristiam lustrabit attentius, et ubicunque telam aranearum vel pulveres adverterit, sive in altaribus sive in parietibus vel scamnis, decentissime mundabit.

Diligentem dabit operam, ut Sanctissimum ad summum secunda quaque septimana renovetur. In altaribus observabit, ut candelae recte collocentur in candelabris, ipsaque candelabra sint munda.

Flores de aestate recentes, qui ut diutius in sua vivacitate conservari possint, quovis tertio ad minus die aquam mutabit.

In sacristia tenebit ordinem, quo poterit modo meliori exactissimum, ut appamenta ecclesiae non miscentur, unaquaque res bene composita in suo loco iaceat, sive pendeat, quod ut commodius fiat, nulli permettit sese ingerere ad aliquam dispositionem faciendam, sed ipsem, uniuscuiusque postulatis satisfaciet, modum compounendi casulas, vela, albas, humeralia, mappas, superpellicea, sedulo discet et diligenter servabit.

Statim post Horas parvas in communi recitatas, ibit ad ecclesiam et ornamenta pro sacrificio Missae inseritura exponet, attendens, ut sint munda, purificatoria non humida, hostiae recentes, vinum non acidum, aqua recens non vero antecedentis diei, tam pro Missis, quam ad lavatorium. Finitis Missis, omnia appamenta diligenter componet et servabit.

Tribus quadrantibus ad 7-am pulsabit campana ecclesiae pro Missa Communitatis, et sacerdotem qui sacrificare debet, tempestive invitabit. Id quoque quolibet die erit ipsi observandum, ut saltem pro una Missa, quae primario absolvitur, campana ecclesiae pulsetur.

#### Curator Luminis.

Ad scholam et oratorium quoties opus fuerit, lumen procurabit. Item de mane et vespere, praesertim post

examen generale, tempore hiemali clericis et sacerdotibus candelas in hypocaustis accendet. Erit contentus candelis iis, quae illi ad usum communem iuxta morem ex procura domus distribuentur. Cavebit interdum, ne eas destruat, et in privatos usus convertat.

Notandum, quod de hyeme ad recitandum divinum officium in schola, una candela vix sufficiat, idcirco Dni Seminaristae secundam candelam per turnum pro sua commoditate providere tenebuntur.

Quotiescunque lumen asportabit ad cubicula, non ibi morabitur, et in confabulationibus tempus inutiliter teret. Ad ipsum pertinebit post examen generale, finito ultimo pulsu, visitare omnia cubicula, utrum omnes candelis extinctis in silentio quiescant, quodsi aliquem non extinxisse candelam adverterit, in crastino A. R. Dno Praefecto deferat. Videat, ne hac in re, quae non minoris est momenti, notam infidelitatis incurrat.

#### Curator Munditiei.

Superintendet, ut in curritoriis omnimoda servetur mundities, et quotiescunque opus fuerit, fortianum prae-monebit, ipse vero diligenter observabit, utrum tela aranea non sit in aliquo loco, imagines recte de-pendeant, et non destruantur. Quotiescunque vero in parietibus aliquid ex pulveribus animadverterit, emundare vel colligere ad ipsum pertinebit. Ipsius officii erit ad imitandum humilitatis Christi Dni exemplum, scholam et oratorium ad minimum secundo quoque die aut saepius, si opus fuerit, scopis everrere. Unde pro negligentia circa munditiem in iis praesertim locis, sciat se responsurum. Idem erit ianitor, œconomus scholae, a qua clavim penes se conservabit, et libri qui ibidem repe-riuntur, ipsius curae et tutelae committuntur. Si tempore alicuius exercitii spiritualis vel scholastici pulsarentur ianuae oratorii vel scholae, ipsius erit extra fores exire, clausisque ianuis quaerere, cur pulsaretur? idque praestabit in silentio et verbis paucis. Si vero aliquis in-vocandus esset ex schola vel oratorio, nonnisi permit-tente eo qui praeest, invitabitur.

**Curator Fenestrarum.**

Fenestras Seminarii in cubiculis, in curritoriis custodiet, ut non destruantur, quas de aestate tempore matutino et sereno aperiet, vespe vero, et quotiescunque opus fuerit, habita ratione tempestatis claudet, excepto hyeme, per quam totaliter clausas relinquet. Si aliquae per ipsius incuriam et negligentiam destruantur, ipsius sumptibus illas reparari oportebit.

**Curator Infirorum.**

Officium sibi iniunctum exequi curabit in spiritu humilitatis et charitatis, repraesentando sibi in personis afflictis Christum Dominum, qui dicturus est aliquando: „Infirmus eram, et visitasti me“ etc. (*Math. 25, 36*). Ad ipsum pertinebit infirmis Seminaristarum omnimoda officia et obsequia charitatis praestare, ipsos spiritualiter in afflictionibus consolari, debiles periculo-seque decumbentes custodire et eorum tam spiritualibus, quam corporalibus necessitatibus, cum consilio et dependentia Adm. R. Dni Praefecti, omni possibili et meliori modo charitable subvenire, secundum illud: „quod tibi vis, alteri facias.“

**Monita pro Lectore ad Mensam.**

1. Honorabit in isto officio actionem Christi Dni, quando intravit synagogam, accepit et aperuit librum, legitque codicem Scripturarum, et existimabit se indignum esse annuntiare aliis verbum Dei.

2. Media ad undecimam, diebus vero ieiunii ipsa hora undecima mane, a prandiis vero duobus quadrantibus ante coenam, descendet ad refectorium praevideendi lectionem causa. Si vero dubitabit, quemnam librum vel lectionem ad mensam legere debeat, correctorem mensae adibit consulendo, et ab antecessore suo in omnibus informari postulabit.

3. Eo tempore, quo lectionem praevidebit, non se aliis rebus immisceret et occupabit, etiam quod lectio-

nem ipsam concernit, non subsistet inutiliter, nisi ubi necesse sit, et quantum expediet.

4. Latinitatem librorum praevidebit attente il-  
lamque leget intelligenter et distincte, servata quanti-  
tate pronuntiationis, verba non immutabit, non omittet,  
commata ac periodos, quoad sensum diligenter obser-  
vabit. Et si qui latini textus occurrit in vernaculo  
auctore, illos legere non praetermittat. Martyrologium  
vero quod attinet, computum ecclesiasticum diligenter  
praevisum. prope se apertum relinquet, ut statim dato  
signo, illud legat voce intelligibili et sonora.

5. Post examen particulare intrando refectorium ibit  
ad pulpitum, ubi peracta benedictione, dicet: „Iube Domne  
benedicere“, quo dicto signabit se signo crucis in silentio  
et stando capite discooperto, Bibliorum lectionem incipiet,  
pronuntiabitque clara voce, lente et distincte,  
secundum morem observatis observandis. Finitis Bibliis  
dicet titulum alterius lectionis, et nomen auctoris ali-  
quanto demissius, pariter discooperto capite stando,  
quo finito, sedebit et caput cooperiens, incipiet altiori  
tono, ascendendo insensibiliter, usque ad tonum ordinari-  
um et naturalem lectionis, quod observabit in omni  
mutatione capitum et titulorum, non repetendo tamen  
titulum vel nomen auctoris, sufficit hoc enim fecisse ab  
initio lectionis.

6. Tempore prandii, cum datur signum ab A. R.  
Dno Superiore, leget Martyrologium pro die sequenti,  
stando capite detecto, dicetque ab initio: *Continuatio  
Martyrologii Romani etc.* in fine vero dicet: *Et alibi  
aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum et Confessorum,  
atque Sanctorum Virginum. Tu autem, Domine, miserere  
nobis.* Cui respondebunt omnes clara voce—*Deo gratias.*

Notandum 1-mo, quod dato signo in coena imme-  
diate dicit: *Tu autem Domine miserere nobis*,—quo dicto  
notabit locum, ubi desiit, idque stando fiet, capite dis-  
cooperto.

Notandum 2-do, diebus ieunii in vespertina colla-  
tione, nec *Iube Domne*, nec *Tu autem* dicitur.

7. Si tempore lectionis corrigatur, ita se geret:  
1) caput discooperiet, 2) surget, 3) repetet verbum cor-

rectum eodem tono, quo legit, 4) si non intellexerit correctionem, repetet lineam, vel amplius ab initio, et silebit, donec iterum corrigatur, et intelligat, 5) corredo errore sedebit, caput cooperiet, et lectionem ultra prosequetur.

8. Ad mensam secundam, legent per turnum et vocationem, si vero nemo sit, qui praesit, post distributam ultimam portionem omnibus, a lectione cessabunt, et in silentio ex refectorio sine mora exibunt.

Notandum, quod ad lectorem secundae mensae pertineat examen vespertinum hora 8-a serotina cum familia domestica recitare, propterea tempestive illos convocabit, ut ipse net in oratorio adsit examini generali. Idem diebus festivis post prandium habebit cum illis breviter et fructuose doctrinam christianam.

Notandum: Quod ad secundam mensam non legitur sacra Scriptura et Martyrologium, nec dicitur *Iube Domne* etc. aut *Tu autem, Domine*, etc.

9. Lectoris 1-ae mensae erit tempore vespertino, dicto *Veni Sancte* et oratione ab illo, qui communitati praeest, legere quinque puncta examiniis, observando pausas et intervalla inter puncta, ita tamen, ut secundum intervallum sit brevius quam primum, tertium longius quam alia, quia tunc fit discussio, sive examen conscientiae; vg. primum intervallum poterit esse spatio duorum *Pater* et *Ave*; tertium unius *Miserere*; quartum duorum *Pater* et *Ave*, et quintum similiter. Dicet etiam litanias lauretanas B. V. Mariae, post more consueto leget puncta meditationis de die dominica, de die vel festo sequenti. Eandem meditationem leget de mane in loco, in quo communitas congregatur pro absolvenda oratione mentali. Primo integrum materiam praeleget, qua finita, repetet primum punctum, quadrante post repetet secundum, tertium vero punctum medio quadrante ante finem meditationis pronuntiando titulum tono demissiori quam reliquum. In fine, immediate post *Angelus Domini*, dicet litanias de Nomine Jesu, ita tamen, ut det cuilibet tempus tum respondendi, tum *Angelus Domini* cum oratione: *Gratiam tuam, quaesumus*, continuandi, nisi subsequatur conferentia spiritualis, post quam imme-

diate praedictae litaniae cum *Angelus Domini* persolvuntur.

Serio recommendatur lectoribus, ne libros lacerent, et destruant, chartas frangendo et illas inconvenienter tractando. Quando vero opus fuerit designare locum, in quo a lectione cessaverint, particulam cerae apponent, aut frustum papyri applicabunt.

#### Monita pro Servitore Mensae.

1. Ordinarie duo inserviunt mensae, aliquando unus tantum si sufficere possit. Honorabunt autem in hoc officio charitatem et humilitatem Dni N. Jesu Christi, qui dixit discipulis suis in suo miraculoso prandio, quando quinque millia hominum refecit: *Facite discubere homines etc.* et postea suis manibus panem miraculose multiplicatum discubentibus distribuit.

2. Sabbato ipse qui est nominatus ad servendum, si prima vice hoc officium exerceat, petet aliquem peritum Seminaristarum, qui illum in omnibus accurate instruat. Alii vero praevidebunt saltem praesentia sibi monita ad uniformitatem in omnibus exactius servandam.

3. Immediate ante refectionem inter primos manus lavabunt, ut plus habeant temporis ad se accingendos et disponendos. Dicto *Benedicite*, primus minister, aperata culinae fenestra accipit rotam, quam defert ad mensam primam in fronte refectorii, si aliqui assideant hospites vel ecclesiastici, quibus extraordinaria datur portio (nisi convenientius videatur primam portionem afferre A. R. Dno Superiori), secundam deferet ad mensam A. R. Dni Superioris, eamque affert A. R. Sacerdotibus consequenter. Notandum, quod primam portionem, exceptis hospitibus, unusquisque propriis manibus ex rota tollit.

4. Distributa prima portione, fit revisio mensae numquid alicui desit, quo facto, distribuitur secunda portio eodem ordine, quo prima; postea praesentatur panis, inchoando a mensa eminentiori, consequenter ad mensam A. R. R. Sacerdotum et Seminaristarum usque ad fenestram culinae.

5. Quando ministri non sunt occupati, stant modeste ad fenestram culinae capite cooperto, manus compositas tenendo, et quoties a lectore nominantur nomina ss-ma *Jesu* et *Mariae*, nec non Sancti illius nomen, cuius festum illo die celebratur, caput discooperiunt; si qua re indigeant, pulsant ad fenestram culinae observabuntque ut ibidem tempore mensae strictissimum ab omnibus servetur silentium.

6. Distributa secunda portione, colligunt scutellas vacuas ex mensis portionis primae, quibus collectis, offerunt modo supradicto portionem tertiam, quam cum accumbentes incipiunt manducare, secunda vice panem praesentant, ut supra, quod intelligendum de prandio, nam in coena, semel tantum panis praesentatur. Post colligunt scutellas a secunda portione, circa finem vero refectionis, postquam iam omnia fere ex mensis collecta fuerint, porriguntur patellae pro colligendis fragmentis. Quod si quis externus fuerit, qui consuetudinem ignoret, et ab initio mensae sedeat, tunc omissso eo, offertur scutella sequenti.

7. Panis non colligitur, nisi omnes refectionem fere finierint, quod inde agnosci poterit, si scilicet Superior ponat in extremitate mensae vel mappulam suam componat. Colligitur porro panis hoc modo: incipiendo a mensa Adm. RR. DD. Sacerdotum usque ad mensam Seminaristarum prope fenestram culinae. Collecto pane in prandio, minister dat signum A. R. Dno Superiori pro legendo Martyrologio, faciendo inclinationem. Tempore Martyrologii colliguntur patinae cum fragmentis, eo modo quo panis. Quodsi in aliqua mensa assidentes nondum collegerint micas, procedit minister ulterius, postea reversurus.

Notandum: Quod in coena post collectionem scutellarum cum micis, fit inclinatio A. R. D. Superiori, pro dando signo et finienda mensa.

N o t a .

1. Rotam onustam commodius et levius portari, si demisse feratur, tenendo manu sinistra summitatem baculi, dextera interim ipsam rotam sustinente. Item

prima portio porrigitur in rota, secunda et tertia manu distribuitur.

2. Non distribuendam 2-m portionem priusquam omnes habeant primam, sicut nec pallae micarum tradendae, antequam omnes habeant ultimam.

3. Ne deserviendo scutellae misceantur, aut una scutella ponatur super aliam, ad evitandum strepitum, qui fieri potest, et proinde auditio lectoris impediretur.

4. Tempore hyemali, teneri servitorem emundare candelas in mensis et lectoris ad mensam.

5. Non discooperiendum caput, dum portatur rota onusta, sive ante imaginem refectorii, sive ante A. R. D. Superiorem, sed capit is inclinatio facienda. Secus si minister vacuus sit, aut parum impeditus, tunc enim discooperiet caput, quotiescumque imaginem transbit, aut A. D. Superiori aliquid porriget vel ab eo aliquid tollet, vg. scutellas micarum afferendo vel colligendo.

6. Postquam primum A. R. D. Superior dederit signum, ut omnes surgant, ad fenestram culinae depositis pileis tempore gratiarum actionis stabunt, in fine servitor mensae ianuam refectorii exeuntibus aperiet. Haec omnia servitores mensae facere debent praemissa intentione cum recollectione spiritus et gravitate, occupando interim mentem piis cogitationibus in honorem illius ministerii, quod Salvator Noster praestitit Apostolis, utpote ille, qui venit ministare non ministrari.

7. Quod unusquisque e Seminaristis ad mensam propriam mappam, cultros cum fascinulis habere et vitrum sibi comparare debeat.

Ad appendicem recommendatur omnibus Seminaristis, ut circa mutationem officiorum successores suos in iisdem officiis, sincere et fideliter instruant, praecipue neoadvenientes, qui iisdem nondum functi fuerant.

---

9.

DECRETUM REFORMATIONIS  
PRO SEMINARIO WLADISLAVIENSI  
sub tempus Visitacionis Generalis  
III. ac Rev. Dni  
ANTONII OSTROWSKI,  
EPISCOPI DIOEC. LIVONIAE, WLADISLAV. ET POMER. COADIUTORIS.  
*1760*

Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur bonisque moribus et disciplinis imbuatur, ad mundi voluptates amplectendas prona existat, et nisi a teneris annis et ab assumptione habitus clericalis, statim ad pietatem religionemque informetur, antequam vitiorum habitus totos eos possideat, nunquam perfecte sine singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret. Hinc est, quod maxime recommendamus A. RR. Praefecto et Professoribus huius Seminarii, ut in his omnibus explendis sedulam navare operam non desistant; invigilent quoque, ut alumni ultra theologiam moralem, cantus, computus ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam, sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, atque, ut praefertur, sacramentorum administrandorum, quae videbuntur opportuna, ac ritum et coeremoniarum formas ediscant. Alumni omnes huius Seminarii confessiones suas ordinarias in Seminario coram confessariis domesticis peragant; sacram vero Communionem in ecclesia cathedrali in Missa cantata cuncti simul suscipiant. A. R. Praefectus pro tempore Seminarii, cum referentia ad Perillustres Provisores, ad mentem erectionis, iuxta numerum respective praescriptum, alumnos huius dioecesis, gparos linguae germanicae, praferibiliter quoad alios ad Seminarium suscipiat, eoque intuitu aspirantes ad statum clericalem in scholis Gedanens. et Thorunen. praeveniat, ut in lingua germanica sese exerceant et

perficiant. Porrecta Nobis sub tempus huius Visitacionis generalis regestra licet subscrisimus, demandamus tamen A. R-ndo pro tempore Praefecto Seminarii, ut abhinc omnes et singulos proventus ex praediis, decimis, censibus, ac reliquos specifice connotet, et Nobis, sive a Nobis delegatis, producat. Census quosvis retentos, Seminarium concernentes, expostulato a Perillustribus Provisoribus consilio, vindicet. De summa in bonis Więcławice inscripta, et provisione ab illa debita repetenda, Ven. Capitulum informet, et vindicationem urgeat. Demum, tam Perillustres Provisores, quam A.RR. pro tempore Praefecti et Professores Seminarii, omnia et singula circa gubernationem, bonum regimen Seminarii et administrationem bonorum, iuxta praescriptum SS. Concilii Trid. et secundum obloquentiam erectionis, tam Karnkviauae, quam Szaniavianae, sedulo conatu explere satagant. In quorum fidem etc. Datum Vladislaviae die 10 mensis Octobris A. D. 1760.

(L. S.) Antonius Eppus Coadiutor.

(Ex archivo Sem. Lib. *Sumaryusz dochodów etc. ac Cap. Vol. 188 f. 298*)

---

10.

**JOSEPHI RYBIŃSKI**

EPISCOPI WLADISLAVIENSIS ET POMERANIAE.

---

**ULOŻENIE SEMINARYUM W DYECEZYI**

(anno 1778).

Po uczynionym porządku względem sprawiedliwości w Sądach konsytorskich (która u Nas jest na pierwszym celu), i innych rzeczy, które nie cierpią najmniejszej zwłoki, idziemy do najistotniejszego obowiązku Naszego, abyśmy zaszczepili dobre i porządne w dyecezyi Naszej Seminaryum. Gdyby Zbór Trydentski nie więcej był nie uczynił nad to, że nakazał Seminarya po wszystkich dyecezyach, dosyćby wiele w tym

było pozytku dla Kościoła Bożego. Trudno albowiem jest, ażeby kapłani byli w oczach ludzkich zwierciadłem wszelkich cnót, jeżeli sposobić się do nich nie będą, nim wieku zaraza opanuje ich serce; trudno, żeby byli okiem ślepych, nogą chromy, światłem narodu ludzkiego, jeżeli samym brakuje na tych przymiotach. Seminaryum jest najlepszą szkołą do utworzenia cnotliwych, i oświeconych razem kapłanów. A zatem rozporządzenie onego jest to potrzebny koniecznie fundament, od którego zaczynać nam należy ten obszerny Dom, który wystawić usiłujemy dla chwały Bożej. Nie jest z tym wszystkim myśl Nasza, abyśmy do niego wprowadzać chcieli jakieś nauki, żadnego nie mające związku z stanem duchownym. Każdy stan ma sobie właściwe umiejętności, i w tym się ćwiczy, co mu jest najpotrzebniejszego. Czas też krótki ledwie wystarczyć może na wydoskonalenie się dobre w tym nawet jednym rzemiosle. A do tego można będzie pierwej w publicznych szkołach nabyć innych świeckich nauk. W seminaryum duchownym szukamy ćwiczenia dla duchownych.

Cała nauka kapłańska zamysza się najwięcej w artykułach wiary, i w prawidłach obyczajów chrześcijańskich. I toč to jest, co Apostoł narodów przypominał najbardziej Tymoteuszowi zalecając mu: „Wiarę i dobre sumienie, które odrzuciwszy niektórzy z strony wiary rozbili się“. Pierwszych wieków Kościoła Bożego stawiano przed oczy uczących się prostą Teologią, czyli naukę o Bogu i teologię moralną, albo stosującą się do obyczajów. Jakoż wyryte one były zawsze na sercu i pamięci chrześcijan. Lecz gdy z łona Kościoła wyszli niektórzy synowie, bunt podnoszący przeciw Bogu, poczeli używać sposobów mówienia fałszywych, czyli sofizmatów, na zaćmienie prawdy, ten sztuczny sposób przeniósł się był nawet do obrońców wiary, i przymusił ich niejako do przyjęcia teologii zasadzonej po wielkiej części na czczycy i próżnych myślach, czyli spekulacyach. Ztąd urosły kłotnie, które pod pozorem utrzymywania sprawy Boskiej przytłumiały miłość chrześcijańską.

Przeto żądamy, ażeby Teologia najwięcej dogmatyczna była dawana. Prawdy dowodzić się mają Pisem św., tradycią, czyli podaniem, zborami, czyli koucyliami, i z Ojców Sś. A lubo ateizm, politeizm, deizm etc. zdrowa filozofia dostatecznie zbić potrafi, przecież w tym osobliwie małowiernym wieku usiłować należy teologowi, aby największą moc obrócić ku tej stronie, z której najbardziej biją na religią chrześcijańską, aby z gruntu rzeczy wziąć, nie chodząc, jak mówią, koło płotu, i odpowiedzieć na rozsiane po tylu księgach zarzuty. Dowieść należy objawienia czyli rewelacyi z rozumu, wyliczyć jej charaktery. Pochodnia ta mimo całej mocy dzisiaj szerzącej się niewierności, nigdy nie zgaśnie.

Nic nie masz niebezpieczniejszego, jak udawać za artykuł wiary to, co tylko jest niektórych zdaniem, i mieszać pobożne myśli z rzeczą objawioną. Wielki ów Bossuet biskup francuzki w swojej bardzo małej książeczce, ale arcy-rozumnej, pod tytułem: wyłożenie wiary chrześcijańskiej, większą uczynił przysługę Kościołowi, niżeli wielu innych, co pisali ogromne tomy; a to dla tego, że się w samych tylko utrzymywały granicach artykułów wiary, nic nie wybiegając do ludzkiego zdania. Teolog używać powinien dystynkeyj gruntywnych, i oczywistych, czynić wnioski z przyczyn jasnych i niewątpliwych. Wolność szkół względem różniącego się zdania nie powinna mieć miejsca, chyba tylko w rzeczach bardzo obojętnych, ponieważ jeden tylko jest chrzest, i jedna wiara.

*infra p. 113 i 118*  
*Zemnenie*

Nauka dziejów kościelnych będzie drugim celem ćwiczących się w seminaryum. Jest to światło bardzo potrzebne, kiedy nie jest zaćmione fałszywym rzeczy malowidłem. Mamy z doświadczenia, jak zmyślone dzieje dały pochop wielu do powątpiewania o innych rzeczach naprawdziwszych.

Nauka tłumaczenia pisma św. i zgadzania niektórych miejsc na pozór sobie przeciwnych, jest tym potrzebniejsza do obrony wiary naszej, że nieprzyjaciele jej z tego źródła czerpać zwykli swoje zarzuty.

Między częściami nauki kapłańskiej teologia moralna jak zdaje się być na pozór łatwa, tak nie małej potrzebująca usilności, aby ją gruntownie i z wszelką rostropnością posiadać. Jeżeli kapłani nie napożą się zawsze dobremi zdaniami, jeżeli uczyć się nie będą znajomości serca ludzkiego, trudno im będzie uchronić się tych dwóch niebezpiecznych skał: szerokości sumienia, którą miłość własna i ulegania rodzić zwykły; i zbytniej surowości, która odstręcza grzesznika i oddala go od pokuty. A do tego bardzoby była rzecz pożyteczna dla dusz ludzkich, aby wszyscy kapłani, którzy mają rządzić sumieniem, jednym gadali językiem, trzymając się równych prawideł, i żeby jedni tego nie psuli, co drudzy zbudują. A jako wszyscy mamy jednego pośrednika, jedną wiarę, tak nie powinniśmy mieć tylko jedne przepisy obyczajów. Czerpać je należy w czystem źródle ewangelii.

Teologia moralna ma związek z prawem kościołem, czyli z kanonami. Uczyć się ich potrzeba i dla własnej kapłana wiadomości, i dla umiejętności rządzenia drugimi. Mamy z doświadczenia, jakie błędy w duchownym rodzić się zwykły z tej grubej niewiadomości ustaw kościelnych. Należy jednak dobre uczynić rozumianie, których praw moc dotąd się utrzymuje, a których nie, aby oddzielić jedne od drugich. Pierwsze przypominać nam będą przepisane obowiązki; drugie dadzą potrzebną wiadomość, którymi stopniami karność kościelna przyszła do wieków naszych. Inaczej kanony będą lasem dla uczącego się, i bez przewodników zgubić się w nim może.

Radzibyśmy jak najprędzej do skutku przywieść myśli nasze względem ułożenia, albo też wybrania potrzebnych na ten koniec książek, któreby nie tylko dla seminaryum, ale też dla całej dyecezyi Naszej na zawsze służyć mogły. Lecz ponieważ to potrzebuje przedłuższego czasu, po części przynajmniej wykonywać je powoli zechcemy.

Nauka kaznodziejska ćwiczących się w seminarjum ma mieć nie pośledne miejsce. Ewangelia Chrystusowa powinna być dla wszystkich kaznodziejów wizerunkiem,

co i jakim stylem na tym prawdy miejscu mówić mają. Nie masz tam w niej krasomówstwa, które oznacza tylko retora, wszystko tam jest po prostu, wszystko do zrozumienia każdego człowieka, a wszystko jest Boskie. Ktokołwiek nie trzyma się pisma św. i Ojców ŚŚ. w tej duchownej wymowie, nie jest godziem imienia kaznodziei. Usta kaznodziejskie są prawdziwie ustami, przez które Bóg do ludzi mówi, a zatem nic z nich nie powinno wychodzić ani śmieszego, ani dziennego, ani fałszywego, ale sama tylko prawda. Nie potrzeba przywoływać fałszywych i podejrzanych historii, przytaczać tekstów pogańskich, używać słów rażących niewinnych uszy. Niech gruntowne dowody wiążą rozum, zapalają wolę, sprawują skruszenia w słuchaczku i wylewają na serce jego ducha prawdy. Jeżeli wychodzący z kościołów bić się będą w piersi, będzie pewny znak pozytecznego kazania. Nie chcemy atoli, aby moc jego zasadzała się tylko na samym krzyku, na wytwornych minach i udawaniu, wszystko to wraża jakiś strach na moment, ale trwać dłucho nie może, na kształt piorunu, który raptem uderzy, i ten co się go przeląkł, wkrótce o wszystkiem zapomina.

Nauka sprawowania ŚŚ. Sakramentów, nauka obrządków, ceremonii kościelnych, śpiewania, każdemu kapłanowi, a tem bardziej plebanowi jest potrzebna. Pismo św. rzuca na tego przekleństwo, który niedbale sprawuje dzieło Boskie. Nic nie masz wspanialszego na ziemi, jako sprawować urząd kapłański na miejscu Jezusa Chrystusa, być pośrednikiem między Bogiem i ludem, a zatem je czynić należy z wszelką przystępnością. Dosyć na tem być powinno, że Kościół św. wszystkie ceremonie przepisał, i ustanowił, do obowiązków kapłańskich przystosowane. Nie chcemy jednak, aby na tem tylko zasadzało się ćwiczenie w seminarium. I to umieć potrzeba, ale tamtego opuszczać nie należy.

Nadewszystko pragniemy tego, aby nauka nie upołała rozumu, i jak przepisuje Apostoł narodów, „aby nie więcej rozumieć, niżeli potrzeba rozumieć, ale żeby rozumieć wedle mierności“. Aby połączona była z zaszczepieniem cnoty, i pobożności stanowi duchownemu

przyzwoitej. Mamy to albowiem z doświadczenia, że jak ten kapłan, który tylko jest uczony bez pobożności, tak i drugi, który jest pobożny bez nauki, często zakładają ciosy religii. Nie zasadzamy atoli tej pobożności na samych tylko powierzchownościach, i drobnych rzeczach. Ewangelia jest największą nieprzyjaciółką faryzeuszostwa, każe ona myć nawet twarz naszą, gdy pościmy, aby nas palcem nie wytykano. Religia przepisała nam istotne obowiązki, wypełniajmy je najpierw. Ale częstokroć zaniedbujemy tego, co jest przykazaniem, a chwytamy się tej rzeczy, która tylko jest radą; a to dla tego, że radzi słuchamy woli naszej, niżeli przykazania. Wiek dzisiaj zepsuty nie czyniłby zaiste tyle pośmiewiska z pobożności, gdyby sami mniej gruntownie pobożni do tego nie dawali czasem pochopu. Zdjęci niektórzy przykrają jakąś gorliwością, z siebie tylko zdają się być kontenci, i chcieliby, aby każdy szedł za ich humorem i fantazyą. Odstępują oni od tej prawdziwej pobożności, której wizerunek stawia nam przed oczy Paweł św., ten to doskonały poznawca serca chrześcijańskiego. Mówią on, że każdy prawdziwie pobożny jest cierpliwy, słodki, pokorny, nie ma złego podejrzenia o drugim, nie gniewa się na nikogo, i pokrywa błędy i wady bliźniego, kiedy ich nie może przed ludźmi wymówić. A osobliwie prawdziwa pobożność zasadza się na miłości bliźniego. Religia chrześcijańska za grunt założyła tę cnotę. Kto jej nie ma, nie jest prawdziwym chrześcijaninem. Takiej roztropnej pobożności zaszczepienia spodziewamy się w seminarium dyecezyi Naszej, i zalecamy rządcom onego, aby gruntownie pobożnych bez dziwactwa, bez obłudy, bez przesady, bez pychy, bez obmowy, i krzywego na drugich oka tworzyli kapłanów.

Nie możemy tu oraz przepomnieć tego, abyśmy przed oczy nad seminaryum przełożonych nie wystawili najpierwszego ich obowiązku, to jest: ażeby rozthropnie, i z przyzwoitą łagodnością zaszczepiali te młode latorośle, uprawiali tę miękką rolę, która sowite Kościółowi Bożemu nieść ma owoce; gdyby zaś tego potrzeba było, występnich strofowali, już to prywatnie, już

w obliczu wszystkich, według nauki św. Pawła, „aby i drudzy bojaźń mieli“. Pospolite rozumiemy, że stopień przełożonych, jest to stopień władzy, która zasada się na rozkazywaniu, i na tem, żeby patrzeć na drzących tych wszystkich, którzy im są podlegli. Inna jest wcale przełożonych powinność. Mają oni być wszystkim dla wszystkich, powinni uczyć się charakteru osób, dociekać skłonności, każdego poznawać naturę, co być może jednemu pożytecznego, a co drugiemu szkodliwego i mierzyć lekarstwa przyzwoite, według osób, według czasu, według okoliczności, aby pewniejszy miały swój skutek.

Podobnie też zalecamy wszystkim ćwiczącym się w seminarym, aby w wszelkiej skromności i posłuszeństwie wykonywali te przepisy, szanując przełożonych, jak Nas samych, ponieważ oni są postawieni na miejscu Naszem. Niech mają wyryte w pamięci te słowa Apostoła narodów: „Bądźcie posłuszni przełożonym waszym i bądźcie im podlegli, oni albowiem czują, jaki mają oddać za was Bogu rachunek, aby to wesoło czynili, bez narzekania, bo to wam na złe wyjdzie.“

Żeby zaś to ułożenie jak najlepiej wykonane było, zlecamy IMC ks.ks. Prowizorom seminaryj, i teraźniejszym i przyszłym, ażeby zniósłszy się pierwej z przełożonym onego względem zażycia zdolnych do tego osób, nie tylko wglądałi w rząd Ekonomii wewnętrznej corocznie, i Nas we wszystkiem uwiadomiali, ale też przepisów Naszych (które tak co do podziału czasu na nauki wyrażone, jako też co do przeciagu, i bawienia się kleryków w seminariu, co do do użycia na ten koniec najlepszych autorów, i innych drobnych okoliczności wyjdą osobno), przepisów mówimy Naszych pilnemi byli stróżami.

Przełożony seminaryi ma Nam przy końcu każdej czwierci roku dawać wiadomość o odprawionych egzaminach przez kleryków z przepisanych nauk, tudzież przyłączyć zdania swoje o postępku w nich i obyczajach każdego z osobna. Chcemy albowiem wiedzieć za wszaszu, którzy do jakiej pracy w Winuicy Chrystusowej zdatni być mogą.

I dla tego ułożyliśmy u siebie nie dawać beneficjów, tylko uznanym zasługom, a nadewszystko nauce i pobożności. Ci oraz, którzy długo pracują z pożytkiem Kościoła po uboższych miejscowościach, pierwsze do tego prawo mieć będą od owych, którzy dopiero zaczęli nosić na sobie imię kapłana.

Tę sprawiedliwość uczynić każdemu spodziewamy się tem pewniej, że nie tylko w naszej mocy mamy do rozdawania beneficjów, ale nawet tuszemy sobie, iż nasze zalecenie osób mieć będzie wagę u kollatorów świeckich, której już z radością Naszą doświadczamy w dyecezyi mianowicie Pomorskiej.

(Datum Varsaviae 29 Aprilis 1778 a.).

\* Ex Ordinatione pro dioecesi, impressa sub titulo: *Rozporządzenie Pasterskie na Dyecezję Kujawską y Pomorską. Roku MDCCCLXXVIII,* pag. 13–21; est in *Actis eiusdem Episcopi* fol. 146.

---

11.

DECRETUM REFORMATIVIS

PRO SEMINARIO WLADISLAVIENSI

de anno 1781.

---

Josephus Rybiński, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Ep. Wlad.  
et Pom. Ordinis Aquilae Albae et S. Stanislai Eques.

Seminarii dioecesani institutio eiusdemque progressus ac iuxta primitivam sui erectionem in optimo regiminis statu conservatio, ad cleri disciplinam in singulis ecclesiis propagandam quam sit summe utilis omninoque necessaria, cum ex ipso sacri Concilii Tridentini sess. 23, cap. 18 decreto facile colligi potest, tum ex eo etiam, quod rei illius salutaris ratio aliquando intermissa, damna et detimenta non mediocria rei ecclesiasticae attulit. Hinc est, quod inter caeteras pastoralis nostrae sollicitudinis curas, a primo suscepti pontificii No-

stri muneris exordio, illam praecipuam esse non dubitamus, ut Seminarii Nostri Wladislaviensis, sub cura et directione R-dorum presbyterorum Congregationis Missionis existentis, bono in spiritualibus ordini et rectae in temporalibus eiusdem administrationi, omni meliori modo prospicere valeamus. Et tametsi ex occasione instituendi alterius Seminarii in Pomerania, potiori dioecesis Nostrae parte, ob imminendum procul dubio in Seminario Wladislaviensi clericorum numerum, ulteriore dispositionem circa illud faciendam pro commodiori tempore Nobis reservemus; expedita nihilominus nuper visitatione generali ecclesiae Nostrae cathedralis lustratoque simul interno et externo Seminarii statu, quae interea aliqua reformatione indigere advertimus, praesenti Nostro decreto hic et nunc ad exequendum proponenda esse censuimus.

Atque 1 mo, cum attestante ipsomet S. Concilio Tridentino christiana pietas et ulterior alumnorum in virtutibus profectus ab institutione adolescentiae potissimum dependeat, nisi enim a teneris annis ad pietatem et religionem informentur, antequam vitiorum habitus ipsos possideat, nunquam perfecte ac sine maximo quinquo singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica sunt perseveraturi, praecipuum proinde studium Admodum R-ndi Praefecti esse debet, quatenus alumni curae suaue concrediti, in pietate quam maxime proficiant vitamque suam ad omnes modestiae, probitatis et apostolicae sanctitatis leges efforment, eo intuitu pias et salubres exhortationes ad eosdem frequentius instituendas esse volumus, quibus iuventus, tanquam quibusdam calcaribus incitata, de virtute in virtutem procedens, ad promovendum cultum divinum et inserviendum animarum saluti sese ultro alacriorem in dies sentiat.

Quod attinet in studiis litterarum profectum, ille in alumnis Seminarii Nostri saltem in posterum omnino maior desideratur; curae itaque erit Admodum R-ndi Praefecti, ut Professores in tradendis lectionibus et per agendis exercitationibus scholasticis diligentiores ab hinc adhibeant operam, quos insuper requirimus ut prae-

ter caetera studia, quibus ad praesens iuxta Ordinationem Szaniavianam ad pietatis exercitationem et ad litterarum doctrinam adolescentum animi erudiuntur, studium quoque historiae ecclesiasticae certis diebus instituatur, quae clericalis ordinis hominibus ad asse- quendam optimam ecclesiasticae vitae rationem maxime accommodata esse facile dignoscitur. Iam quoad prae- scriptiōnēm victus competentis et subministratiōnēm suf- ficientis commoditatis, nihil ultra obloquentiam praelau- datae Ordinationis Szaniavianaē innovare intendimus, finem tamen quaerimoniis alumnorum hac super re toties Nobis expositis imponere volentes, accuratiōrem univer- sae rei oeconomiae gubernatiōnēm inducendam Admodum Revndō Praefecto summopere inculcamus, eundemque in- haerendo penultimae Visitationis Generalis decreto, ad reddendum Nobis sive delegatis Nostris de proventibus quibusvis et pro re Seminarii expensis, quotanuis sub tempus Capituli generalis Epiphaniae calculum, procu- randamque in suis regestris quam exactissime in poste- rum conficiendis Nostrī sive Nostrorum delegatorum sub- scriptiōnē, indispensabiliter adstrictum esse decernimus.

Ad extremum, siquidem frustra leges conduntur, nisi debitae executioni mandentur, resuscitandaē igitur memoriae anteriarum Ordinationum per antecedaneos Nostros episcopos Wladislavienses, praesertim vero olim Illustrissimos Stanislaum Karnkowski et Constantimum Szaniawski pro Seminario Wladislaviensi factarum, tum quoque Nostrae etiam pastoralis novissimae ante aliquot annos editae, pro viribus Nostris subvenire cupientes, singula in illis contenta puncta, quae hicce pro inser- tis haberi volumus et declaramus, quam solemnissime innovamus, reassumimus exactissimaeque observantiae et instantaneae executioni commendamus.

Porro, cum integer conatus Nostrī quoad optimam Seminarii aequē in spiritualibus ac temporalibus rebus administrationē successus, unice fere et potissimum ab assidua inspectione ac indefessa vigilantia Illustrissimi et Perillustris Provisorū, unius ex parte Nostra, alterius ex parte venerabilis Capituli eo fine designatorū

dependere videatur, ipsorum proinde toties probatum zelum et integerimam fidelitatem in adminiculum laboris et partem huiusce sollicitudinis Nostrae pastoralis vocamus, ardentissimis votis exoptantes, ut de statu Seminarii, de vigilantia professorum, de progressibus quos et in via spirituali et in litterarum studiis Seminarii cleris habuerit, sollicite et accurate inquirant, suamque praesentiam quibusvis clericorum exercitationibus scholasticis praebere non deditur. Itaque pro illo munere quod sibi praecommissum habent, ipsorum erit invigilare, providere et omnino exequi, ut Seminarium Nostrum Wladislaviense, quoad spiritualia in debito ordine, vigore et disciplina, quoad temporalia vero in praescripto alumnorum numero et sufficienti eorundem provisione, iuxta supra exaratas Ordinationes, administretur et pro tempore regatur; nec non ut praesens Nostrum reformationis decretum, quod absque omni mora publicari mandamus, debitam suam executionem obtineat. In quorum fidem hoc idem reformationis decretum manu propria subscrisimus et sigillo Nostro communiri iussumus.

Datum Wolboriae in palatio nostro episcopali,  
die 1-a mensis Junii 1781.

**Josephus Episcopus.**

Ignatius Czyżewski, U. J. Dr,  
Scholasticus Volborieusis, Visita-  
tionis Generalis Secretarius Acto-  
rumque eiusdem Notarius mpp.

(*Lib. 154, fol. 421*).

12.

ORDINATIO PRO SEMINARIO WLADISLAVIENSI.

Franciscus Skarbek

MALCZEWSKI

Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, Senator Regni Poloniae,  
Ordinis S-ti Stanislai Eques.

Ad perpetuam rei memoriam.

Statim ac gubernandae dioecesis Cuiaviensis et Pomeraniae onus suscepimus, non Nostris viribus, sed eius, qui Nos ad difficillimum pastorale munus vocavit, confisi auxilio: memores Tridentini statuti, praescribendis certis quibusdam regulis ad pie educandum ecclesiasticam iuventutem tendentibus, a cuius recta institutione salus animarum curae Nostrae commissarum vel plurimum dependet, totos nos deditus. Zelo p. m. praedecessoris Nostri Ill-mi Stanislai Karnkowski Seminarii Wladislaviense erectum, dotatumque munificentia Ill-morum Pauli Wołucki, Mathiae Łubieński, Bonaventurae Madaliński proventibus auctum, ab Ill-mo denique Constantino Feliciano Szaniawski uberioribus redditibus donatum, nullis novis indigere subsidiis compertum habentes, illuc potissimum sollicitudinem nostram convertendam agnovimus: 1-mo, ut ecclesiastica pubes spes dioeceseos futura, pietate ac omni imbuatur virtute; 2-do, ut tenera eius ingenia apprime necessariis exornentur scientiis; 3-tio, ut ex strenue administratis preventibus Seminarii opportuna alumnis praestentur comoda. Hic triplex praesentis Ordinationis Nostrae est scopus, qua saluberrimis, sanctissimisque praedecessorum Nostrorum statutis nihil derogare volumus, quinimo eadem manu tenere cordi habemus.

I. VITAE ECCLESIASTICAE TYRONES IMBUANTUR PIETATE, OMNIQUE IN SEMINARIO ASSUESCANT VIRTUTI.

cum Corona Imperiali Eques.

---

ORDINATIO

PRO

Seminario Dioecesano Wladislaviensi.

Cum in unaquaque societate bene ordinata sunt certae leges et praecepta, a quibus servandis omnis vigor et prosperitas eius pendeat: inde in Seminario etiam, ubi educatur iuventus ecclesiastica, necessariae sunt quaedam leges et statuta idque eo magis, quo haec In-

stitutio omni alia Institutione est honoratior, utilior, atque magis necessaria.

Seminarium, ut ipsa vox demonstrat, est locus ubi seruntur omnia genera virtutum, est schola Christi, in qua elevatur succrescens generatio in dignos ministros in Ecclesia Dei, et illa beata solitudo, in qua tenera soboles, remota a pravis exemplis et corruptione saeculi, per proxim variarum virtutum et acquisitionem scientiarum, evadit in viros fortis, oppugnantes se muro pro Domo Dei.

Omne bonum itaque in Ecclesia, uti malum, dependet a bona vel mala educatione in Seminario.

Hinc Ecclesia quovis saeculo, licet diverso modo, sollicita erat de bono statu et prosperitate Seminariorum. Maximum documentum hac in re est decretum Concilii Tridentini *Sess. 23 c. 18 de Ref.* ubi mandatur II-mis Episcopis estrui Collegia prope ecclesias cathedrales, in quibus adolescentes aspirantes ad statum ecclesiasticum, a teneris iam annis per proxim variarum virtutum et officiorum uti per progressum in scientia, possint ascendere ad gradus ecclesiasticos.

Nos igitur, onusti cura pastorali huius dioecesis, volentes promovere bonum Ecclesiae Nostrae curae commissae auctoritate Nobis desuper data, praescribimus et declaramus alumnis nostris in hoc Seminario existentibus, has leges et statuta, quae eis erunt tanquam norma agendi in omnibus eorum occupationibus, prout sequuntur.

§ 1. Alumni noviter in Seminarium recipiendi debent afferre testimonium studiorum ex scholis publicis saltem classis 4-ae finitae, si ex privata educatione testimonium privati institutoris, testimonium morum ex loco commorationis, — item testimonium permissionis parentum vel tutorum, testimonium legitimi ortus et suscepti baptismi, — Litteras dimissoriales, si sint ex aliena dioecesi oriundi, nec non permissionem commorandi in Seminario a Regimine civili.

§ 2. Licet exterior habitus non faciat clericum, sed mutatio morum et spiritus ecclesiasticus, ut tamen ordini et externae honestati consulatur, unusquisque de-

bet sibi providere in tempus Seminarii vestes talares, saltem duas, superpelliceum, libros et alia necessaria. Pileus, vestes, superpelliceum debent esse parata decenter, sine fimbriis et exquisitis ornamentis, redolentibus potius spiritum mundanum quam Christi, et quantum potest conformia ornatui totius cleri Seminarii.

§ 3. Annus scholaris incipit die 1 Septembris cuiuslibet anni, finitur autem ultimis diebus mensis Junii: videlicet, die ultima Augusti omnes alumni conveniunt in Seminarium; die 2 Septembris vespere incipiunt recollectiones quinque dierum, cum AA. RR. Praefecto et Professoribus, finitis recollectionibus una die recreatio, sequenti autem die inchoabitur schola.

§ 4. Requirimus a Nostris alumni necessario bonam dispositionem animi ad virtutes prosequendas, uti rectam intentionem serviendi Deo et laborando in vinea Christi prodesse saluti fidelium, spiritum amoris proximi, humilitatis, patientiae, modestiae, pietatis, quae sunt prima et utilissima ornamenta boni alumni et prae sagia totius eius profectus in virtutibus et scientiis in posterum. Hinc procul sit ab unoquoque spiritus ille bassus et mundanus inveniendi panem et alia necessaria ad vitam in statu clericali, procul animus ille superbiae, pertinaciae, rixarum et scissionum. Alumnus licet uni de his vitiis additus fuerit, clare demonstrat, se non esse vocatum ad statum ecclesiasticum.

§ 5. Alumni huius Seminarii a primo suo ingressu in illud sedulo applicabunt animum ad acquirendas scientias eorum statui et vocationi necessarias, uti theologiam moralem, dogmaticam, Scripturam sacram, ius canonicum, historiam ecclesiasticam, philosophiam, caeremonias et alia. Quare non licet in Seminario se occupare otio, vagatione, lectione librorum profanorum, novellis et aliis rebus ordini praescripto disconvenientibus, nisi aliquid ex his ARD. Director permiserit. Scholae semper aderunt et nunquam sine sufficienti ratione et sine scitu et facultate R. D. Directoris aut Professoris se absentabunt. Ante scholam debent totum tempus insumere exactae praeparationi lectionum, quare

non licet eis horis preeparatoriis ambulare per curritoria  
huc atque illuc, aut ab uno cubiculo in aliud, aut  
sermones inutiles ducere. In schola, tempore lectionum  
et exercitiorum attentos et diligentes se preestabunt,  
dum explicantur lectiones ab RR. DD. Professoribus  
difficiliora sibi adnotabunt, dum aliquid non intelligunt,  
modeste requirent ab RD. Professore et eius responsio-  
ni acquiescent.

§ 6. Quotidie mane preeentes aderunt medita-  
tione per dimidiā horam, quam attente et cum fructu  
absolvere curabunt. Hora 7-a devote auditioni Missae  
vacabunt in ecclesia S-ti Vitalis, nisi id facturi sint in  
ecclesia cathedrali; nunquam in Missa erunt sine aliquo  
libro pio. Confessiones peragent quolibet sabbato et  
vigliis festorum, ut possint communicare diebus domini-  
nicis et festis. Qui in his sacris et summe homini chri-  
stiano ad virtutes acquirendas exercitiis negligens ex-  
titerit, monendum est una et altera vice, et emendatione  
non secuta, dimittatur e Seminario. Aderunt etiam aliis  
piis exercitiis, uti lectionibus spiritualibus, visitationibus  
SS.-mi Sacramenti mane, ante et post lectionem, confe-  
rentiis, precibus, quae in communī recitantur, quibus  
nullus sub quovis praetextu substrahere se audebit.

§ 7. Festis celebribus 1-ae classis omnes alumni  
cum Breviariis descendunt mane in ecclesiam cathedra-  
lem ad cantandum Matutinum cum Laudibus, uti et Ve-  
speras 1-as et 2-as; aliis autem festis et dominicis reci-  
tabunt haec in Seminario, nisi obstet grave aliquod im-  
pedimentum. Mandamus insuper et obstringimus, ut  
alumni quovis tempore, sive descendentes in ecclesiam  
pro fungendis officiis, sive existentes in choro, sive in  
exportationibus, sive quoconque demum sint loco, sem-  
per preeferant modestiam et compositionem totius  
corporis, ut sint tanquam Angeli Dei expositi exemplo  
oculis omnium intuentium. Nullus itaque audeat compa-  
rere in locis publicis immodestus, immorigerus, neque  
sub quovis praetextu egrediatur e choro in Sacristiam  
aut extra in aliquam domum. Omnibus item, qui de-  
scendunt in Sacristiam pro officiis peragendis, commen-  
datur silentium, evitatio omnium clamorum et inquietu-

dinis, quod ut accurate servetur, officium Decani aut alius ad id designati erit hoc animadvertere.

§ 8. Cum in omni fere peragendo negotio necessaria est quies et cessatio ab aliis occupationibus, hinc in Nostro Seminario, ubi alumni duplicem habent finem scilicet acquirere virtutes et scientias statui suo necessarias, strictum observabitur silentium, praesertim horis preparatoriis; eundo in scholam aut inde redeundo non erunt clamores neque strepitus per scalas et curritoria, nec in cubiculis. Vespere hora 9-a post ultimum campanae signum idem silentium magnopere iniungitur, hinc licet alumnis permittitur ad horam 10-am candelas non exstingere ad relegendas lectiones pro crastina die, severe tamen prohibetur ex uno cubiculo in aliud transire aut convenire in unum propter sermones terendos, lusum, tractamenta et alia.

§ 9. Usus linguae latinae semper vigebit, unde alumni in cubiculis, in conversatione tempore recreationum, omnino utentur lingua latina; executioni huius Nostrae dispositionis invigilabunt V. V. alumni Curatores linguae latinae. Excipiuntur ab hac regula dies festivales et recreationum, in quibus alumni poterunt uti lingua polonica.

§ 10. Commendamus etiam alumnis, ut servent in vita et cohabitatione semper sincerum amorem, concordiam, pacem, omne decorum et urbanitatem, ut tanquam fratres in schola Christi diligent se invicem, supportent suos defectus, ut unus sit adiumento alteri. Longe igitur ab eis erunt: odia, suspiciones, iurgia, rixae, verba aspera et rusticitatem redolentia, maxime percussiones: haec si aliquando locum haberent, statim certior faciendum est R. D. Director, ut malo quam citissime occurrat.

§ 11. Tempore recreationum nemo se absentabit sub quolibet praetextu, aut claudet in cubiculo, sed omnes simul operam dabunt relaxationi animi et resumendis viribus, sive in schola, sive ambulando per curritoria, sive in horto, pro temporis qualitate; ambulabunt omnes simul, si non, saltem ad minimum terni, ut vitetur occasio particularium amicitiarum, quae sunt origo om-

nium scissionum et dissidiorum. Tempore hiemis, dum magnum frigus, cum licentia R. D. Directoris in cubiculis se continere licebit. In recreationibus alumni vacabunt aut alicui honesto lusui, aut sermonem instituant de rebus gravibus ad studia scholae pertinentibus, aut etiam de aliis, prout tempus et occasio suppeditabunt, nunquam tamen loquentur de rebus mundanis, inutilibus, scandalosis, aut quod Deus avertat, lubricis, erga superiores suos vel socios iniuriosis, pacem et charitatem laudentibus. Eiusmodi portant in propria conscientia barathrum, quod neque ipsos pacificos esse, neque alios in pace vivere sinit; unde quocunque se vertunt semper sunt inquieti, tumidi, suspiciosi, quaerulosi, iram et vindictam in sinu foventes, ut merito de istis dici potest: „miseriores omnibus hominibus“.

§ 12. Tempore mensae semper legetur aliquis liber utilis, cui lectioni alumni attentos se praebant; ita ut post mensam interrogatus quisque, possit rationem reddere totius lectionis. Prohibentur magnopere tempore mensae discursus, divagationes oculorum in hanc et alteram partem, accubitus mensae immodesti et alii gestus incompositi.

§ 13. Lectioni ad mensam, uti et servitio per totam hebdomadam, omnes alumni a maioribus ad minimos vocatione, ex ordine, sine ulla exceptione, per totum annum sunt adstricti, nisi ob debilitatem aut aliam sufficientem causam R. D. Director quem liberaverit.

§ 14. In refectorio concionem saltem unam per annum tempore quadragesimae unusquisque alumnus habebit, quae debet esse elaborata conformiter regulis in schola traditis et bene ex memoria pronuntiata. Si quis autem aut non exacte elaboraverit, aut memoriter non dicerit, altera vice debet hanc repetere, aut novam parare.

§ 15. Ut omnis occasio ad ebrietatem tollatur, severe prohibetur usus cremati et aliorum potuum inebriantium; hinc alumnus, qui miserit in civitatem et hoc sibi afferendum curaverit, aut ab aliquo hospite suscepit, vel e domo a parentibus et propinquis obtinuerit, prima et altera vice punitus, tertia expellatur. Prohibe-

tur item fumigatio tabaci, uti domi ita extra domum; alumnus, qui reus in hoc extiterit, eadem ratione punietur uti pro cremato.

§ 16. Diebus recreationum, si tempestas aëris sinit, omnes cum licentia R. D. Praefecti aut Directoris, descendant per viam publicam in campum aut in silvam, modo ne habeant secum ullum hominem saecularem. Qui ex infirmitate aut alia iusta causa non possint descendere pro recreatione, significabunt id Decano, addita ratione sua absentiae; euntes autem pro recreatione per civitatem, aut redeentes domum, nullus audeat se segregare et alibi divertere, sub praetextu alicuius negotii peragendi, aut aliquem visitandi.

§ 17. Nullus alumnorum sine scitu et licentia R. D. Praefecti aut Directoris egrediatur e Seminario, sed cum aliquod negotium in civitate habet ad peragendum, debet omnino ad id obtinere facultatem. Obtenta autem facultate, nemo sub hoc praetextu accipiat occasionem ad visitandas domus, multo magis divertendi ad cauponas ad potandum, et alia similia. Non licebit egredi domo in hortum per totam diem, sed id nonnisi permittitur horis recreationum post prandium et coenam, idque solum tempore diurno.

§ 18. Omnes alumni semper occupati aliquo utili labore inveniantur, prout leges huius Instituti et propria eorum vocatio exigunt, quare non contrahent amicitias et familiaritatem cum saecularibus, neque eos introducent in sua cubicula, neque audient ab eis alias narrationes et novitates, quae semper sunt potius causa distractionum in studiis, quam alicuius boni fructus. Licebit tantum cum propinquis, idque raro et semper interveniente iusta causa, consortium habere.

§ 19. Non permittitur item alumnis extra tempus debitum frequentare refectorium aut culinam, neque familiaritates nectere cum domesticis; eiusmodi familiaritates sunt dedecori alumnis et semper vertuntur in dispendium totius cleri Seminarii.

§ 20. Obligamus et in conscientia obstringimus omnes alumnos, ne diffamant personas, statuta et consuetudines huius Instituti, aut seipsos invicem, sive vivo

sermone, sive per epistolas ad personas varias scriptas: muliebris est animus, qui amat occupari eiusmodi rebus, ne dicam vilis et foedus, qui ex privatis iniuriis sibi illatis, aut ex frivolis suspicionibus, ablatione famae satisfactionem sibi quaerit. Hinc et prove·bium fert: „Turpissima avis, quae proprium deturpat nidum“. Hac de causa unusquisque scripturus epistolam ad aliquem, dabit eam ad relegendum et obsigillandum R. D. Directori, uti et recipiens ab aliquo scriptam.

§ 21. Unus alumnorum, quem R. D. Director assignaverit Decanum, uti et duo eius adiutores, dicti Monitores, invigilabunt in particulari, ut haec omnia puncta in praxi ab unoquoque perfecte adimpleantur. Decani erit assignare officiales in ecclesia cathedrali, uti etiam lectorem, servitores mensae, Missae; praecipue invigilare, ut omnia officia ab unoquoque perfecte adimpleantur: inde omnes ei obediere et reverentiam praestare tenentur; qui vero in aliquo pertinax et inobediens inveniatur, aut rixosus et asper in verbis, magis si alias ad eandem pertinatiam et inobedientiam causa extiterit, post monitionem, emendatione non secuta, dimittatur e Seminario.

§ 22. Ut omnis decentia servetur, alumni tota die, sive tempore aestatis sive hiemis, in cubiculis erunt vestiti veste talari; non egredientur mane neque vespere foras aut in aliud cubiculum sine veste.

§ 23. Omnes alumni curabunt servare magnam munditatem in vestibus, in dispositione suorum cubiculorum, non portabunt quidpiam quod immundum, sordidum aut laceratum fuerit. Certum enim est, alumnū negligenter circa propriam personam in Seminario, negligentem etiam fore circa Ecclesiam Dei postea. Hanc observationem facient quoad res Instituti, scilicet ne aliquid destruant, deterius faciant, aut sibi appropient, ex: asportando aliquid ex refectorio, uti: vitra, forcipes, scutellas, cultros etc. Qui damnum aliquod causaverit, obligatus erit id proprio sumptu resarcire.

§ 24. Nullus alumnorum praeter dies vacationum discedere poterit e Seminario ad parentes vel propinquos, aut ad ordinandam rem familiarem, nisi excepta

morte vel gravi infirmitate parentum aut propria, quo casu unusquisque debet obtinere testimonium medici domestici et facultatem nostram.

§ 25. Nullus item alumnorum properabit ad Ordines suscipiendos, neque adhibebit media ad hos matruius suscipiendos; qui eiusmodi ratione Ordines vellet suscipere, eo ipso indignum se faceret iis suscipiendis. Nemo igitur in posterum ordinabitur, nisi finitis studiis et testimonio obtento a RR. DD. Professoribus de moribus et competenti scientia, nisi quem ordinare matruius Nobis visum fuerit.

§ 26. Toto anno continuo alumni scholae vacabunt, exceptis diebus, quibus cessant lectiones, uti: a vigilia Nativitatis Domini ad diem 2 Januarii; a die examinis semestralis post Dominicam 60-ae ad feriam 4-am diei cinerum; a sabbato ante dominicam Palmarum ad feriam 5-am post dominicam Paschae inclusive; a sabbato Pentecostes ad feriam 3-am inclusive eiusdem festi, item die sabbato ante festum SS-mae Trinitatis, si Ordinatio fieri debeat; feria 5-a cuiuslibet hebdomadae, nisi obstet aliquod festum. His et aliis diebus recreationum, alumni licet non frequentent scholam, ipsis tamen nullo modo otiosos esse licet, sed semper occupati aliquo utili labore invenientur.

§ 27. Mense Maio, quovis anno alumni habent recreationem dictam „Majówka“, in qua praeter consuetum ientaculum, habent singuli ex botulis vel aliis carnibus portionem cum pane triticeo, pro prandio quartam portionem assatureae et unum vitrum potus-vini, in coena portiones tres, post coenam vero unum vitrum potus, qui vocatur „poncz“. Idem alumni habebunt 1-a et 2-a die paschatis pro ientaculo esculenta benedicta ex carnibus et pane triticeo; celebribus vero festis, uti prima die Nativitatis, Resurrectionis Domini ac Pentecostes datur eis 4-a portio tempore prandii et unum vitrum vini per singulos. Ultima die bachanalium in coena obtinent 3-am portionem vulgo „paczki“ et potum, dictum „poncz“ per singulos vitrum.

§ 28. In fine uniuscuiusque anni scholaris ante discessum alumnorum R. D. Director ad servitium ec-

clesiae cathedralis tempore feriarum assignabit sex alumnos, scilicet unum 3-tii anni, duos 2-di et tres 1-mi, nisi ipsi aliter visum fuerit. Pro festo autem Assumptionis B. M. V. in eadem ecclesia cathedrali aderunt adhuc saltem sex alumni a R. D. Directore designati.

§ 29. Alumni proficentes domum pro vacationibus non praedicabunt verbum Dei in ecclesiis parochialibus, neque occasione alicuius publicae solemnitatis, nisi sint in maioribus Ordinibus constituti. Omnes etiam revertentur in Seminarium tempore designato, ut adsint recollectionibus; si quis autem eorum ob gravem rationem se tardaverit, debet testimonio causam suae retardationis probare et recollectiones solus alio commodiore tempore peragere. Ii alumni qui remanent in Seminario, in tempore feriarum non omittent exercitia spiritualia in decursu anni peragi solita, uti mane meditationem, auditionem Missae, examen conscientiae, lectionem librorum utilium etc. Pro recreationibus ibunt semper omnes simul idque in loca honesta, non se separabunt ab invicem, si quis autem habeat aliquod negotium in civitate, nunquam solus et sine facultate R. D. Directoris, aut Professoris egredietur.

§ 30. Alumnus, qui in Seminario nullos aut non nisi medios progressus faceret in studiis, vel qui suspectis sit moribus, uti si habeat inclinationem ad ebrietatem, luxuriam, contrahat amicitias cum saecularibus, praesertim cum mulieribus, scribat aut recipiat ab eis litteras, si tepidus et negligens fuerit in adimplendis exercitiis Seminarii, si sermones duxerit contra fidem vel bonos mores, si sit erga suos superiores ingratus, iniuriosus, contumax, si in vita et cohabitatione cum sociis rixosus, indignabundus, scissiones faciens, si denique de aliquo vitio aut defectu ex annumeratis admonitus aliquoties aut punitus, semper incorrigibilem se praesterit, sine ulla mora quocunque anni tempore referendus Nobis est, in Nostra autem absentia Il-mis Provisoribus Seminarii, et dimittendus e Seminario tanquam ovis infecta, ne suis pravis exemplis inficiat alios.

Omnia haec puncta confirmamus et ut suum valorem in posterum conservent, roboramus, volumusque et

in conscientia obligamus, ut iis cum omnibus suis adiunctis, alumni Nostri Seminarii se conforment, sub nullo praetextu se ab eis observandis subtrahentes. Iubemus insuper, quo Nostra haec Ordinatio melius ab alumnis memoria teneatur, ut in initio cuiusvis anni scholaris in praesentia Il-mor. et R. R-morum Praelatorum publice legatur; inserta autem regulis Seminarii, postea ut saltet quovis mense, praesentibus omnibus alumnis in schola repetatur.

Datum in Residentia Nostra Episcopali  
Wladislaviae, die 28 Augusti 1861 a.

(L. S.)

**Michaël Episcopus.**

---

17.

ALEXANDER CASIMIRUS

BEREŚNIEWICZ

MISERATIONE DIVINA ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

EPISCOPUS

WLADISLAVIENSIS SEU CALISSIENSIS

S. Theologiae Magister,

Ordinis Sancti Stanislai 1-ae classis Eques.

---

Divina Providentia commissum est Nobis regimen Dioecesis Wladislaviensis seu Calissiensis, ad extremum vergentis Occidentem, unde ab aliquot saeculis, sine ulla intermissione, novi semper erumpentes errores, fidei sanctae moribusque perniciosissimi, vigilantiam nostram pastoralem anxiā sollicitamque tenent. Quum autem Nostra intima persuasione contra tanta mala optimum sit remedium scientia, zelusque et mores san-

cti sacerdotum: omnem curam in id convertimus, ut a Seminario Nostro procul arceantur impietatis machinationes et impetus, quibus non relegatis, sumnum periculum et Ecclesiae et Imperio ipsi imminet. Quare ad mentem Ss. Concilii Tridentini, cuius praceptis obstringimur, animum intendentes, nec non voluntati S. Sedis in pacto nuper cum Sereniss. Imperatore inito manifestatae, et Nostro desiderio respondere volentes: Statuta a Praedecessoribus nostris variis temporibus edita, tum consuetudines probatas, hic observari solitas, in unum colligere decrevimus, et in formam harum Constitutionum redacta, promulgamus, iis tam Alumnos, quam Professores et Praefectos obligatos esse statuentes.

## ARTICULUS I.

### De Seminarii administratione.

§ 1. Administrationi Seminarii praeest AR. Regens, cuius curae et custodiae commissa est ratio studiorum et mores omnium, qui in Instituto vivunt. Eius itaque est:

- a) invigilare, ut unusquisque officio suo lite frangatur;
- b) ordinem lectionum, attenta indole personarum, praescribere, nec non diligentiam adhibere, ut debito tempore ac cum fructu a quovis R. Professore Alumnus pensa explicitur;
- c) in mores Alumnorum diligenter inquirere, eosdem admonere;
- d) si quid devium cognoverit, castigare, levi culpa punire, emendationem non recipientes cum scitu Nostro relegare;
- e) quovis semestri exeunte, absolutis examinibus, referre Nobis in scriptis de progressu in scientiis Alumnorum, eorumque vita et moribus;
- f) dijudicare et componere graviores causas, et si opus fuerit, ad Nos deferre;
- g) rationem expensae annuae, documentis probatam, Nobis reddet in fine cuiusvis anni;

h) quum in rebus ad regimen Seminarii pertinentibus Nostram geret personam: ideo cum RR. Professoribus Seminarii, imo etiam cum inferioribus Magistris Imperii et Consistoriis Illustrissimorum Episcoporum licitum ei erit relationes habere; nihil tamen innovare poterit sine Nostra expressa permissione.

§ 2. Pro hoc suo gravissimo munere rite explendo, quum continua, assidua personalis vigilantia vix sufficiat: a Nobis eidem A. R. Regenti adiungentur adiutores ab eo dependentes, unus cum titulo Vice-Regentis ex numero R. R. Professorum, et alter dictus Procurator.

§ 3. Vice - Regenti committitur custodia proxima disciplinae domesticae morumque Alumnorum. Videbit itaque:

- a) ut statis temporibus campana accurate pulsetur;
- b) communibus precibus et exercitiis spiritualibus praeibit;
- c) intererit meditationi et lectioni spirituali quotidiane;
- d) saepius circuibit cubicula Alumnorum, visurus an studiis vacent;
- e) comitabitur Alumnos extra sepimenta Seminarii ambulantes. Ne vero obligatio haec nimis gravis fiat R. Vice Regenti, exoptatum esset, ut RR. Professores eidem opem adferant;
- f) admonet Alumnos, si quid deliquerint;
- g) Alumnis cubicula assignat;
- h) veniam dat foras egrediendi, nisi id sibi A. R. Regens exceperit, sociumque designat;
- i) Alumnis licentiam praebet converientibus colloqui in conclavi ad eum finem destinato.

§ 4. In administranda re oeconomica adiuvabit A. R. Regentem Procurator seu Oeconomus. Officium Procuratoris est:

- a) dispensare rem familiarem et ordini domestico consulere. Sumptus necessarius suppeditabitur ex aerario;
- b) rationem perceptorum et expensorum notare in

libro, qui quovis mense examinabitur ab AR. Regente et Vice-Regente;

c) cellae penariae providere;

d) cavere ut cibaria munde et salubriter parentur;

e) cavere integritati et numero supellectilis domesticæ;

f) invigilare refectioni aedium;

g) proximam habere inspectionem famulorum.

§ 5. Officium Confessarii Alumnorum seu Patris Spiritualis, qui praeter illud nullo alio intra moenia Seminarii munere fungetur, erit:

a) meditationi et precibus communibus quotidie interesse;

b) Missam sanctam quotidie Alumnis celebrare;

c) bis in anno, initio et fine anni scholaris exercitia spiritualia (recollectiones) triduana cum Alumnis absolvere, in quibus sermones sacros ipse habebit;

d) diebus sabbati, pridie festorum solennium, toties quoties rogabitur, audire confessiones Alumnorum. Quod officium, quum sit gravissimum, Pater Spiritualis quotidie matutinis et vespertinis precibus praesens paratusque ad confessionem excipendam aderit. Ad confessiones Alumnorum audiendas post exercitia spiritualia absoluta, alii Sacerdotes invitari a Patre Spirituali poterunt, cum scitu AR. Regentis.

§ 6. Ad spiritualem profectum Alumnorum promovendum, praeter quotidianas meditationes, lectiones spirituales et orationem, AR. Regens cum R. Vice-Regente semel in hebdomada, per decursum anni scholaris quavis feria 5 ta (nisi festum solenne impediverit), hora quae opportunior videbitur, exhortationem ex ordine ad Alumnos habebunt de obligationibus status ecclesiastici.

§ 7. RR. DD. Professores studia Alumnorum veant, et, ut in scientiis progrediantur, current. Adui-  
vabunt AR. Regentem et R. Vice-Regentem in cognoscenda indole uniuscuiusque et signis vocationis. Quavis dominica, excepto tempore Adventus et Quadragesimæ, habebunt sermones (Conferentia vulgo dicitur) de materia, quam meditatio diei suggeret.

§ 8. Quum bulla Ss. Papae Pii IV, quae incipit „In Sacrosancta“, et Constitutiones Provinciae nostrae praecipient, ut quilibet praceptorum, antequam ad explicandam aliquam scientiam accedat, prius Professionem fidei catholicae faciat: mandamus, ut tam gravis lex Ecclesiae nunquam praetermittatur.

§ 9. Indicem pensorum theologicorum et ordinem lectiourum initio uniuscuiusque anni constituet AR. Regens, adhibitis consiliis omnium RR. Professorum, Nobisque approbandum communicabit. Pensa historiae et litterarum Rossiae, a Nobis ordinata, Regimini approbanda communicantur. Compendia theologica eligit et designat AR. Regens una cum RR. Professoribus, cum Nostra approbatione. Compendia historiae et litterarum Rossiae, a Nobis designata, Regimini approbanda praesentantur.

§ 10. Studium scientiarum, divisum in Cursum Philosophicum duorum et Theologicum trium annorum, quinquenium durabit. Meliori ingenio excellentibus, praesertim qui integrum cursum in gymnasio laudabiliter absolverunt, vel in Universitate disciplinis operam navarunt, AR. Regens poterit cum scitu Nostro unum annum studii philosophici condonare, dummodo examine absoluto, specimen dederint, se peritos esse eorum, quae omiserant.

§ 11. Alumni primi anni philosophici vacabunt his scientiis: a) Philosophiae, quinque horas per hebdomadem; b) Doctrinis Catholicis, horis duabus; c) Linguae latinae, h. 5; d) Historiae universalis h. 2; e) Historiae sacrae V. T. h. 1; f) Litteraturae polonicae h. 2; g) Exercitio styli polonici h. 1; h) Caeremoniis ecclesiasticis h. 1; i) Exegesi Scripturae S. h. 2; k) Cantui Gregoriano h. 1; l) Linguae, litteraturae et historiae Rossiae.

Altero anno, praeter linguam latinam, cui ab Alumnis primi anni separati, studium impendent h. 5, simul cum iisdem aderunt: a) Philosophiae, b) Doctrinis Catholicis, c) Exegesi Scripturae Sacrae, d) Historiae universalis, e) Caeremoniis ecclesiasticis, et f) Cantui

Gregoriano, ac *g)* Linguae, litteraturae ac historiae Rossiae. Practerea una cum Alumnis Theologiae studebunt: *h)* Historiam Ecclesiae universalis h. 4.

In cursu Theologico per triennium explicabuntur: *a)* Scriptura Sacra, i. e. Exegesis h. 2, Archaeologia Sacra, Introductio in V. et N. Testamentum, et Hermeneutica Sacra h. 2; *b)* Theologia dogmatica tum generalis, tum specialis h. 4; *c)* Theologia moralis cum practica resolutione Casuum conscientiae h. 5; *d)* Theologia pastoralis h. 1; *e)* Historia Ecclesiae universalis, singulari ratione habita historiae Ecclesiae huius Regni, h. 4; *f)* Jus Canonicum h. 2; *g)* Eloquentia sacra cum Catechesi, Paedagogica, Patrologia et historia eloquentiae sacrae h. 1; *h)* Caeremoniae Sacrae h. 1; *i)* Rubrum, seu expositio Missalis et Breviarii h. 1; *k)* Cantus Gregorianus h. 1. Tantus scientiarum theologicarum numerus, quarum singulae et gravissimae sunt et late patent, longiorem triennio cursum exigit. Penuria tamen Sacerdotum magnopere pressi, spatio hoc peregrinatio, etsi inviti, cursum Theologiae absolvit permittimus, eam spem concipientes, RR. Professorum diligentia et alacritate suppletum iri, quae ob brevitatem temporis minus accurate sunt tractata.

§ 12. Semel in mense AR. Regens cum ecclesiasticis Professoribus deliberationem habebit de vocatione Alumnorum et statu interno Seminarii; et si quid maioris momenti occurrerit, consilia Nostra exquireret, ut providamus. In his sessionibus notabitur progressus in scientiis et moribus; graviores causae excludentur; constituetur admissio candidatorum examine absoluto in numerum Alumnorum; decernetur indignorum relegatio in fine anni vel intra annum scholarem; proponentur mutationes sive in programmate studiorum, sive in disciplina domestica. Si necessitas suaserit, AR. Regens, vel cui id iuris est sessioni interesse, sessionis extraordinariae convocationem exigere poterit.

§ 13. Cura subsidii pecuniarii a Gubernio soluti, demandatur Regenti et V.-Regenti una cum Procuratore. Pecunia haec deponatur in scrinio clauso 2-bus clavibus, quarum unam habebit Regens, alteram VRegens.

## ARTICULUS II.

### De ordine domestico et officiis Alumnorum.

§ 1. Candidati ad statum ecclesiasticum, Seminarium ingressuri, ut recipi possint, debent afferre testimonium e scholis publicis ad quintam saltem classem promovens, testimonium permissionis ingrediendi Seminarium datum a parentibus vel tutoribus, testimonium morum datum a Parocho loci postremae commorationis, testimonium legitimi ortus et baptismi suscepti, litteras dimissorias, si ex aliena veniant dioecesi, litteras passus a Regimine civili datas.

§ 2. Licet vestis non faciat Clericum, sed mutatio morum et spiritus ecclesiasticus: ut tamen ordini et externae honestati consulatur, unusquisque Alumnus duas saltem habere debet vestes talares, superpelliceum, libros, alia necessaria. Pileus, vestes, superpelliceum decenter parata esse debent, sine fimbriis et ornamentis nimiis, redolentibus spiritum mundanum, non Christi, et conformia ornatui totius Cleri.

§ 3. Annus scholaris incipit 1-a Septembris, finitur postremis diebus Junii. Bis in anno, i. e. initio et fine, absolvuntur exercitia spiritualia trium dierum, praesidente R.D. Vice-Regente vel Patre Spirituali, quibus intererunt omnes Alumni et RR. Professores Seminarii. Diem exercitiorum, nec non diem quo annus scholaris desinat, cum scitu Nostro constituit AR. Regens. Absolutis exercitiis initio anni, datur Alumnis dies quietis.

§ 4. Ut Alumni virtutem efficaciter prosequi possint. requirimus ab iis necessario bonam animi dispositionem, maxime vero rectam intentionem serviendi Deo et operandi in vinea Christi ad sui sanctificationem et proximorum salutem, spiritum charitatis fraternae, humilitatis, simplicitatis, patientiae, modestiae, pietatis, quae sunt prima et utilissima ornamenta boni. Alumni et praesagia celeris profectus in perfectione christiana

et scientia ecclesiastica. Hinc procul ab iis sit spiritus ille vilis ac sordidus, qui in sacerdotio panem et vitae sustentationem sibi quaerit; procul animus superbis, pertinax, ad rixas et scissiones pronus. Qui vel uno ex his vitiis inquinatus fuerit, satis demonstrat, se ad statum ecclesiasticum vocatum non esse.

§ 5. Alumni a primo statim ingressu in Seminarium toti se dabunt ad acquirendas scientias conditioni et vocationi suae necessarias: Scripturam Sacram, Theologiam Moralem, Dogmaticam, Jus Canonicum, Historiam Ecclesiasticam, Philosophiam, Caeremonias Sacras, Cantum Ecclesiasticum, alia. Quare non licebit Alumnis desidia et segnitie tempus conterere, vagari, libros profanos et ephemerides legere, alia ordini praescripto non convenientia suscipere et tractare, nisi quid RD. Vice-Regens permiserit. Scholae semper aderunt, neque unquam sine sufficienti ratione, sine scitu et permissione R. Vice-Regentis vel Professoris schola aberunt. Ante scholam tempus totum convertent ad diligentem praeparationem pensorum et meditationem eorum, quae in schola erunt audienda; quare hora praeparationis non licet ambulare, aliena cubicula intrare, in suo cubiculo sermones serere. In schola ad ea, quae explicantur, diligenter animum attendant, graviora et difficilia sedulo notantes; si quid non intelligent, modeste a RD. Professore quaerant, eiusque responso acquiescant.

§ 6. Quotidie mane aderunt meditationi per dimidiā horam, quam pie et cum fructu spirituali absolvere curabunt, quippe quae efficacissimum est remedium perfectionis acquirendae. Hora 7-ma audient SS-uni Missae sacrificium in ecclesia S. Vitalis, nisi id sint facturi in ecclesia cathedrali; Missae nunquam sine libello aliquo pio aderunt. Unoquoque die sabbati et vigilis festorum confessionem peccatorum facient, ut diebus dominicis et festis ad s. synaxim accedere possint. Qui in his sacris exercitiis negligentem se exhibuerit, una et altera vice monebitur; si non emendabitur, dimittetur e Seminario. Aderunt etiam aliis piis exercitiis: lectioni spirituali, visitationi SS. Sacramenti mane post meditationem, ante et post lectiones, sermonibus sacris,

quas Conferentias dicunt, precibus in communi recitari solitis, quae pia exercitia nullus Alumnorum omittere audebit.

§ 7. Festis celebribus 1-ae classis omnes Alumni cum Breviariis mane in ecclesiam cathedralem se conferent ad cantandum Matutinum cum Laudibus, item post meridiem ad cantandas Vespertas 1-as et 2-as; caeteris festis diebus et dominicis easdem Horas sacras recitabunt in Seminario, nisi grave obstet impedimentum.

§ 8. Mandamus et praecipimus, ut Alumni quovis tempore et loco, sive in ecclesiam eentes vel redeuntes, sive in choro, sive in exportatione, ubicunque demum fuerint, semper praeseferant modestiam et compositionem vultus et totius corporis, ut sint tanquam Angeli Dei oculis intuentium expositi. Nullus itaque audeat comparere immodestus, dissipatus, neve egrediatur e choro in sacristiam, aut extra ecclesiam in domum aliquam. Omnibus, qui e choro in sacristiam pro officio suo se conferunt, commendatur devitatio clamorum, cachinationis, omnis dedecoris; quod ut accurate servetur, curam adhibebit Decanus vel alias ad id officium designatus.

§ 9. Quum ad omnia necessaria et exoptata sit quies, ideo in Seminario Nostro, ubi Alumnis duplex propositus est finis: acquirere virtutes et scientias statui congruentes; iniungitur silentium, quod observabant non solum in cubiculis horis praeparationis, sed etiam quotiescumque ibunt in scholam vel redibunt; vitabunt strepitus, clamores in curritorio, scalis. Vesperae hora 9 a, post ultimum campanae signum, silentium strictum iniungitur; licet vero permittatur Alumnis non extingue-re candelas ad horam 10-am, ut releggere lectiones pro die crastina possint, severe tamen prohibetur ex uno cubiculo in aliud transire vel in uno convenire ad sermocinandum, ludendum, ad convivia facienda, alia id genus.

§ 10. Ut lingua latina commodius loqui possint, semper hac lingua utentur tum in cubiculis, tum horis recreationis; quod ut stricte observetur, invigilabunt

Curatores linguae latinae. Excipiuntur dies festi et quietis, quibus lingua polona uti poterunt.

§ 11. Commendamus Alumnis, ut in convictu et conversatione servent mutuum amorem, concordiam, pacem, decorum, urbanitatem, ut tanquam fratres in schola Christi inter si diligent, suos defectus toleranter ferant, alter alterum iuvent et aedificant. Longe sint ab iis odia, invidiae, suspicione, iurgia, altercationes, verba aspera et rusticitatem redolentia, maxime verbera; quod si quando evenerit, statim nuntiandum est RD. Vice-Regenti, ut malo quam primum occurrat.

§ 12. Tempore recreationum nemo aberit, vel in cubiculo se includet, sed omnes relaxando animo et reficiendis viribus se dabunt, ambulando in schola vel in curritoriis, vel in horto, pro coeli tempestate; ambulabunt vero omnes simul, aut saltem terni, ut singularum amicitiarum, quae est scissionum et dissidiorum origo, omnis occasio auferatur. Hieme permagni frigoris causa, in cubiculo manere licebit, id RD. Vice Regente permittente. Hora recreationis Alumni vel ludum aliquem sibi facient, vel de rebus aptis et convenientibus colloquentur; nunquam tamen loquentur de rebus mundanis, inutilibus, scandalosis, vel (quod Deus avertat) sordidis et obscoenis, pacem et charitatem laudentibus, erga superiores et socios iniuriosis. Qui enim eiusmodi sermonibus delectantur, omnem pudorem et charitatem exuerunt, et malae conscientiae facibus agitati, qua pace nudati sunt, alios privare contendunt. Itaque, ut ipsi inquieti sunt, ita quounque se vertunt, secum afferunt quod in sinu fovent, querelas, suspicione, iram, vindictam, ut merito dici possint „miseriores omnibus hominibus.“

§ 13. In refectorio tempore prandii et coenae legetur liber aliquis, cui lectioni Alumni attente auscultabunt, ut quisque interrogatus rationem lectionis reddere possit. Quare tempore coenationis prohibentur confabulationes, coniectus oculorum huc illuc, immodestus accubitus, gestus incompositi.

§ 14. Officio lectoris et ministrorum cibos e culina porrigentium fungentur ex ordine omnes Alumni sine ulla exceptione, nisi quis eorum propter infirmita-

tem, vel aliam probatam causam, a Rev. Vice-Regente liberatus ab hoc officio fuerit.

§ 15. Tempore Quadragesimae Alumni in refectorio ex ordine conciones habebunt, quae ad regulas scholae praeparandae et ex memoria proferendae sunt. Qui non satis diligenter concessionem praeparaverit vel memoriter bene non didicerit, altera vice concessionem habebit.

§ 16. Ut occasio ebrietatis tollatur, severe prohibetur usus omnium potuum inebriantium; hinc Alumnus qui eiusmodi potum sibi ex oppido afferri iusserit, a parentibus, amicis, propinquis obtinuerit, prima et altera vice admonitus, tertia expellatur. Sub eadem poena vetantur Alumni herbae nicotianae fumum ducere, tum in Seminario tum extra Seminarium.

§ 17. Diebus quietis (recreationis) si tempestas sinat, omnes per viam publicam in locum suburbanum a R. Vice-Regente designatum deambulaturi se confrerunt, dummodo a nullo laico homine comitati. Qui ob infirmitatem vel aliam causam ambulationem confidere nequit, Decanum certiore faciet. Deambulatum abeuntibus et redeuntibus nullibi devertere licet, tum ut aliquem visitent, tum ut aliquod negotium expediant.

§ 18. Nulli Alumnorum e Seminario egredi fas est sine scitu et permissione R. Vice-Regentis. Si quando necessitas id exegerit, permissionem a R. D. Vice-Regente exquiret, qua obtenta, ne quem visitare, vel hac occasione tabernas et cauponas ingredi audeant. Neque in hortum egredi licet, nisi hora recreationis post prandium ac coenam, et quidem interdiu.

§ 19. Ne inutilem temporis iacturam faciant, semper occupati erunt vel studiis, vel alio labore, prout leges Seminarii et vocatio exigunt. Quare nullam contrahant amicitiam et familiaritatem cum hominibus laicis; ne eos in cubicula invitent, neve ex iis novitates quaerant, quum hoc sit magno temporis detimento. A propinquis visitari licebit iusta causa id exigente, cum scitu et permissione RD. Vice-Regentis.

§ 20. Extra tempus constitutum vetantur Alumni

ingredi refectorium et culinam, famulos complecti familiaritate. Eiusmodi familiaritas magno est dedecori et dispendio totius Cleri.

§ 21. Obligamus et in conscientia obstringimus Alumnos, ne diffamant personas, statuta, consuetudines huius Instituti, sive verbis, sive per litteras. Anilis est animi foras effutire, quae domi fiunt, — vilis ac foedi opinatas iniurias ulcisci disseminatis falsis rumoribus et infamiae labe huic Seminario aspersa. Hinc proverbium dicit: Turpissima avis, quae suum deturpat nidum. Qua de causa quisque litteras scripturus, eas relegendas et obsigillandas dabit RD. Vice-Regenti; nemo etiam litteras ab aliquo recipiet, nisi a RD. Vice-Regente prius lectas.

§ 22. Unus Alumnorum a RD. Vice-Regente ad officium Decani designatus, quem adiuvabunt duo Monitores, curabunt, ut omnia haec statuta Nostra accurate observentur. Decani est assignare officiales in ecclesia cathedrali, uti etiam lectorem, servitores mensae, Missae. Decano omnes Alumni reverentiam et obedientiam praestabunt, in quibus ab eo admonebuntur. Qui vero inobediens, contumax, iurgiosus, rixosus, verbis asper fuerit, maxime vero qui aliis inobedientiae et contumaciae ansam dederit, si post monitionem non emendabitur, e Seminario dimittatur.

§ 23. Ut debitus decor servetur, Alumni nunquam non erunt sine veste talari, sive in cubiculo maneant, sive alibi egrediantur.

§ 24. Omnes Alumni studiose colent munditiem vestitus et cubiculi sui, neque induent vestes laceras vel sordidas. Qui enim eiusmodi munditiam non curat, negligenter se Ecclesiae Dei sine dubio praestiterit. Admonemus Alumnos, ut integritati supellectilis et omnium rerum, quae Instituti sunt, diligenter consulant, neque quidquam corrumpant, destruant, in usum suum convertant, vel suum faciant, v. g. vitra, cultros, cochlearia, furcillas. Damnum illatum resarcire quisque in conscientia obligatur.

§ 25. Nullus Alumnorum properabit ordinari, ne-

que adhibebit media ad Ordines sacros maturandos; qui ita fecerit eo ipso se sacris indignum praestiterit. Nemo enim ad Ordines ss. promoveri potest, nisi absoluto studio integro et obtento a RR. DD. Professoribus testimonio morum et scientiae competentis.

§ 26. Quotidie per annum scholae aderunt Alumni, exceptis diebus quibus lectiones interquiescunt, id est, a Vigilia Nativitatis Dominicæ ad 2 Januarii, a Dominica 60-mæ ad diem Cinerum, a Sabbato ante Dominicam Palmarum ad feriam 5-am post Pascha, a Sabbato Pentecosten ad feriam 3-am inclusive eiusdem festi, Sabbato ante Dominicam Ss. Trinitatis (si Ordines sacri conferantur), principaliores dies festivi Imperialis Palattii, et feria 5-ta cuiusque hebdomadae. Etsi vero his diebus Alumni schola vacent, ne desides tempus terant, sed utili labore aliquo occupentur.

§ 27. Anno scholastico finito et feriis advenientibus omnes Alumni domum proficiscuntur, exceptis iis, qui ab AR. D. Regente designati, in Seminario remanent ad servitium ecclesiae cathedralis. Ex eadem causa die Assumptionis B. M. V. conveniunt in ecclesia cathedrali sex Alumni, item ab AR. Regente designati.

§ 28. Tempore feriarum non licet Alumnis Verbum Dei praedicare, nisi sint in maioribus Ordinibus. Die constituto omnes ex feriis in Seminarium revertunt, ut recollectionibus adesse possint. Qui serius venerit, morae suae causam testimonio probare debet; recollectiones vero, tempore designato, solus absolvet. Alumni per ferias in Seminario manentes, exercitia pia peragi solita non omittent, sed semper horis statutis aderunt meditationi, sanctissimo Missae sacrificio, precibus vespertinis; deambulatum ibunt omnes simul, nullibi divertent, nisi R. D. Vice Regente permittente; reliquum tempus in studium et lectionem librorum utilium convertent.

§ 29. Alumnus, qui nulos vel exiguos progressus facit, qui moribus suspectus est, propensus in ebrietatem, libidinem, qui amicitiam contrahit cum laicis, vel

familiaritatem cum foeminis, qui scribit vel recipit ab iis litteras, qui officii sui negligens et tepidus est, qui sermones serit contra fidem, bonos mores, qui est contumax, inobediens, Superiores suos parvi habet, qui in conversacione et convictu est iracundus, rixosus,—qui aliquoties admonitus vel punitus emendationem non recipit: sine ulla mora, quounque anni tempore Nobis, vel in Nostra absentia Illustrissimis Provisoribus Seminarii est deferendus, ut e Seminario dimittatur, ne unius ovis scabies totum gregem contaminet.

Statuta haec omnia auctoritate Nostra approbamus et confirmamus, Alumnosque Nostros iis obstringimus. Volumus etiam, ut quovis anno scholastico ineunte, Illustrissimis Praelatis praesentibus, publice praelegantur; quo melius vero in memoria Alumnorum hae-reant, ut ab AR. D. Regente singulatim explicitur.

Datum in Residentia Nostra Episcopali

Wladislaviae, die 30 Junii 1884 an.

† Alexander Episcopus.

(L. S.) Regens Cancellariae

Michaël Lorentowicz.



## I N D E X.

	<i>Pag.</i>
Notitia brevis de origine et varia fortuna Seminarii Wladisl.	5

### I. Documenta Erectionis.

1. Erectio Seminarii Wl. a Stan. Karnkowski Epo a. 1569 facta, ex authentico documento fideliter descripta . . . . .	15
Confirmatio S. Sedis Apostolicae institutionis Seminarii . . . . .	20
2. Nova erectio ab Epo Szaniawski a. 1719 facta . . . . .	26
3. Erectio Collegii Societatis Jesu in Schotland a. 1592, ab Epo Hieronymo comite Rozdrażewski . . . . .	33
4. Fundatio pro studiosis, Epi Christophori Ant. Szembek a. 1739 . . . . .	40

### II. Statuta seu Regulae Seminarii.

1. Patroni Seminarii S. Stanislai Kostka Regulae . . . . .	45
2. Constitutiones Clericatus Wlad. de a. 1631 . . . . .	47
3. Decretum Reformationis Epi Mathiae Lubieński 1632 a. . . . .	55
4. Dispositio Epi Bonaventurae Madaliński a. 1687 . . . . .	56
5. Ordinatio Epi Christophori Ant. Szembek de a. 1722 . . . . .	57
6. Eiusdem Epi Chr. Ant. Szembek Ordinatio 1726 a. . . . .	58
7. Compendium Regularum pro Seminariis PP. Missionar. 1673 a. . . . .	61
8. Earundem Regularum clarior Elucidatio . . . . .	67
Caput I. de scopo Seminarii Clericorum . . . . .	67
II. de requisitis admittendorum . . . . .	69
III. de temporis distributione . . . . .	71
IV. de exercitiis spiritualibus . . . . .	76
V. de exercitiis litterariis . . . . .	79
VI. de aliis exercitiis et quibusdam observandis	83
VII. de personis . . . . .	85
VIII. de rebus . . . . .	86

	<i>Pag.</i>
Regulae speciales officiorum Seminarii . . . . .	89
Officia Decani . . . . .	89
" Monitoris . . . . .	92
" Curatoris campanae . . . . .	93
" Sacristiani . . . . .	94
" Curatoris luminis . . . . .	95
" Curatoris munditie . . . . .	96
" Curatoris fenestrarum . . . . .	97
" Curatoris infirmorum . . . . .	97
Monita pro Lectore ad mensam . . . . .	97
Monita pro servitore mensae . . . . .	100
9. Decretum Reformationis Epi Ostrowski, 1760 a. . . . .	103
10. Dispositio (Ułożenie) Epi Rybiński, 1778 a. . . . .	104
11. Eiusdem Epi Rybiński decretum Reformationis, 1781 a. . . . .	111
12. Ordinatio Epi Francisci Malczewski, 1816 a. . . . .	115
De virtutibus acquirendis in Seminario. . . . .	116
De scientiis Clericis necessariis . . . . .	117
Administratio rei oeconomicae et ipsius Seminarii . .	121
13. Ordinatio Epi Josephi Stephani Koźmian, 1829 a. . . . .	125
14. Ordinatio Epi Mathiae Val. Tomaszewski, 1838 a. . . . .	132
15. Eiusdem Epi Tomaszewski decretum Reformationis, 1840 a. .	137
16. Regulae Seminario ab Epo Marszewski a. 1861 datae . .	143
17. Regulae ab Exc. Epo Bereśniewicz a. 1884 datae . .	153
Art. I. De Seminarii administratione . . . . .	154
Art. II. De ordine domestico et officiis alumnorum. .	159

